DE TROPIS ET FIGURIS,

QUAE INVENIUNTUR IN ORATIONIBUS

DEMOSTHENIS ET CICERONIS,

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS LITERARIAE JULIAE MAXIMILIANEAE WIRCEBURGENSIS

RITE PETENDOS

SCRIPSIT

JOANNES STRAUB.

WIRCEBURGI

TYPIS IMPRESSIT THEIN (STUERTZ)

MDCCCLXXXIII.

Prooemium.*)

Omnes fere homines docti et antiqui temporis et recentioris aetatis id consentire video, eloquentiae palmam in Graecis oratoribus Demostheni, in Romanis Ciceroni esse deferendam. Quod cum tam tritum sit et pervagatum, ut verear, ne molestus sim, si de hac re plura verba facere velim, tum illud maxime mirum videri possit, quod in hac tanta eorum praestantia et divinitate dicendi tamen etiam leviter inspicienti facile appareat, et oratione et rerum tractatione alterum ab altero plurimum distare [1]. Quid, quod D. Jenischius, homo et ingenio et doctrina excellens [2],

---

*) Litteris inclinatis indicantur ei loci, qui accurate ad verbum ex auctoribus, quos adhibui, afferuntur. [1]) Quintilianus Ciceronis et Demosthenis eloquentiam breviter confert 10, 1, 106 sqq. ac plerasque eorum virtutes arbitratur similes, consilium, ordinem, dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique quae sint inventionis; huc addit: *in eloquendo est aliqua diversitas: densior ille* (Dem.), *hic copiosior*, *ille concludit adstrictius*, *hic latius*, *pugnat ille acumine semper*, *hic frequenter et pondere*, *illic nihil detrahi potest*, *hic nihil adici*, *curae plus in illo*, *in hoc naturae*. His adiungamus, Ciceronem fere partitiones et divisiones praemittere, illum eius modi nihil facere, sed imparatum ad singula examinanda accedere videri, hunc argumentandi ratione Demostheni nequaquam esse parem, huius simplices et breves perorationes multo plus habere dignitatis et gravitatis quam illius flebiles illas et miserabiles conquestiones, maiorem esse vim in Demosthenis illis fulminibus quam in Ciceronis amplificationibus et digressionibus non raro nimis dilatatis et declamationis rationem olentibus, maiorem existere illius quam huius facultatem in animis omni modo pertractandis, flectendis, sedandis, commovendis, incitandis, hunc ornamentis dicendi abundare, illum saepe propter rerum gravitatem ea negligere, quin etiam non numquam de industria vitare. Auctor libri, qui est περὶ ὕψους (Speng. Rhett. Graec. vol. I. pag. 261), de eadem re haec dicit: ὁ Κικέρων τοῦ Δημοσθένους ἐν τοῖς μεγέθεσι παραλλάττει· ὁ μὲν γὰρ ἐν ὕψει τὸ πλέον ἀποτόμῳ, ὁ δὲ Κικέρων ἐν χύσει, καί ὁ μὲν ἡμέτερος διὰ τὸ μετὰ βίας ἕκαστα, ἔτι δὲ τάχους ῥώμης δεινότητος οἷον καίειν τε καὶ διαρπάζειν, σκηπτῷ τινι παρεικάζοιτ' ἂν ἢ κεραυνῷ, ὁ δὲ Κ. ὡς ἀμφιλαφής τις ἐμπρησμὸς οἶμαι παντη νέμεται καὶ ανειλεῖται, πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον, καὶ διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἀλλοίως ἐν αὐτῷ καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀνατρεφόμενον κτά. [2]) „Ästhetisch-kritische Parallele des Demosthenes und Cicero“ (Berlin 1801) pag. 242; cf. etiam ibid. 191 sqq. et 228 sqq., ubi propriae utriusque virtutes tractantur.

Demosthenis eloquentiam a Ciceroniana non gradu solum, sed genere differre vult? Itaque non dubito, quin haec res accurata et diligenti inquisitione dignissima sit. Neque tamen ego aut Jenischium sequar, qui gravissima et maxima quaeque adumbranda elegit atque universam huius rei rationem primis velut lineis designavit, aut hanc materiam per omnes locos et partes persequi in animo est, sed qualem in adhibendis et tropis et figuris rationem secuti sint praestantissimi illi inter veteres et dicendi et scribendi arte oratores, docere et demonstrare conabor. Quamquam autem universe nemo negabit, accuratam Ciceronis et Demosthenis comparationem maxime esse optandam, tamen huic commentationi meae aliqua praefaturus et rationem consilii probaturus non levissima mihi premi videor difficultate propterea, quod hanc rem haud magni plurimos esse iudicaturos sentio; ac ne Jenischius quidem, de quo paulo ante dixi, eam magno opere curare mihi videtur [3]). Nec mirum, cum nemo negaverit, multos oratores cum gravissimos et copiosissimos tum suavissimos evasisse sine ulla huius rei ratione et doctrina. Nam, ut Ciceronis verbis utar, ipsa natura hoc incredibiliter fabricata est, ut ea, quae maximam utilitatem plurimum eadem haberent vel dignitatis vel saepe etiam venustatis. Quid, quod alii ut plerique oratores Attici, qui fuerunt ante Demosthenenem, admodum paucis huius generis ornamentis adhibitis ipsa rerum magnitudine et pondere plurimum in dicendo profecerunt? Quid vero, quod alii nulla imbuti huius rei disciplina sua sponte vel tantum exempla summorum oratorum secuti his ipsis luminibus orationis maxima arte et prudentia usi sunt? At haec nulla ascita ratione aut doctrina ornandi facultas et copia nisi summis ingeniis non concessa est ac paene miraculi loco accipienda, illa autem horrida et incompta dicendi gravitas pro initiis illis quidem eloquentiae et quasi pueritia laudem meruit, sed nunc omni ratione rhetorica ad tantam perducta subtilitatem non iam locum habere potest; neque ego despero, eis si qui forte haec mea in manus sument, quod secutus sum, aliqua quidem ex parte posse probari.

Ac primum quidem mihi non alienum a munere ludi magistri visum est investigare et enodare, quae Ciceronis et Dem. in hoc genere ratio fuerit. Deinde discipulos in gymnasiis nostris non idcirco solum hac doctrina imbui velim, ut tales exornationes in libris scriptorum antiquorum legendis agnoscant, quod tamen ipsum saepe non assequuntur, sed etiam studeant ipsi eas in suis scriptionibus recte tractare. Licet enim res eius modi neque ad summum oratoris vel scriptoris neque omnino hominis liberaliter instituti officium pertineant, tamen non sunt

---

[3]) pag. 20 sq. scribit: „Nicht Gleichnisse und Metaphern, sondern tiefe Kenntnis der Staatsangelegenheiten, nicht Figuren und Tropen, sondern Menschenkenntnis und Geschäftserfahrung, nicht harmonische Perioden, sondern die Heilsamkeit und Wohlthätigkeit der vorgeschlagenen Massregeln waren die kräftigeren Überredungsmittel der Demosthenes' und Ciceronen."

plane negligendae, neque minima ex parte vim illam sive δεινότητα, quae fertur et praedicatur, inde repetendam esse arbitror, quod illi his quoque quasi insignibus dicendi suo loco mira arte utebantur. Ipsis quidem figuris grammaticis, quae nequaquam orationem tam vehementer exornant quam rhetoricae et tropi, Linacer[4]) scribit omnem sermonem non solum aliqua novitatis gratia excitatum commendari, sed etiam velut coloribus ornari et quasi luminibus quibusdam illustrari. Ea autem, quae tradit Quintilianus[5]) de ornatu universo, cui describendo duos libros operis sui praeclarissimi insumpsit, praecipue de hoc genere dici putandum est, quod non modo magnam, sed etiam illustrissimam omnis ornatus partem complectitur: *Emendate quidem ac lucide dicentium tenue praemium est, magisque ut vitiis carere quam ut aliquam magnam virtutem adeptus esse videaris. inventio cum imperitis saepe communis, dispositio modicae doctrinae credi potest: si quae sunt artes altiores, plerumque occultantur, ut artes sint, denique omnia haec ad utilitatem causarum solam referenda sunt. cultu vero atque ornatu se quoque commendat ipse, qui dicit, et in ceteris iudicium doctorum, in hoc vero etiam popularem laudem petit, nec fortibus modo, sed etiam fulgentibus armis proeliatur etc.* Aquila vero Rom.[6]) de ipsis figuris rhetoricis haec exhibet: *Figurandarum sententiarum et elocutionum proprium oratoris munus est. Hoc enim genere et parva extollit et angusta dilatat, et cum celeritatem tum ornatum plerisque et vim et pondus verbis ac sententiis addit: ad permovendos quidem animos auditoris aut iudicis nihil aequale est. Quod sic facillime intelligitur, si, quae sunt figurate enuntiata apud magnos oratores, detractis figuris eloqui velis; inveniuntur enim nequaquam dignitatem aut vim eandem retinentia*[7]). Nam illud quidem notissimum est, veritatem ipsam causae et bonitatem saepe parum valere ad persuadendum, nisi etiam quasi tabula bene picta in bono lumine ponatur. Atqui bene uti his ornamentis non ita facile est, quod in hac re maxime vicina sunt virtutibus vitia, in schola autem vix tantulum datur temporis, ut haec ratio breviter summatimque percurratur. Quam ob rem discipulis, qui quidem, ut par est, ardore quodam amoris in studia incumbunt, me non ingratum facturum esse spero, si exemplorum copia ex optimis auctoribus collecta huius rei quae sit ratio, qui usus illustrare conabor. Huc accedit illud, quod non modo non omnes scriptorum veterum orationes aptae sunt, quae in scholis enarrentur, quamvis multis virtutibus aliis eniteant, verum etiam praeclarissimas plerasque quominus legant prohibentur adolescentes propterea, quod prava illa huius saeculi consuedudine studia eorum in nimis multas partes dis-

---

[4]) In libro: De emendata structura Latini sermonis (libri V, Lond. 1524) pag. 381 sq. [5]) 8, 3, 1 sqq. [6]) in rhett. Lat. min. (ed. C. Halm. Lips. 1863) p. 22 sq. [7]) cf. praeterea Aristot. Rhet. III. (ap. Speng. I. 121) et Longin. (ibid. p. 305).

trahuntur[8]). Hac igitur opera mea id quidem fiet, ut illustrissimi omnium orationum Demosthenicarum et Ciceronianarum loci — nam in eos tropi et figurae cadere solent — collecti et in uno conspectu velut gemmae positi eis, qui his frui volunt, ad contemplandum pateant. Postremo, cum magis experiendi voluntate quam spe perficiendi ad hunc laborem accesserim, praefandi iure abuti velim, ut ab eis, si qui forte haec legent, benignitatem et indulgentiam exorem. Cum enim silva rerum tanta sit, ut multi eius loci singuli proprio volumine digni sint, mihi omnia comprehendenti non facile fuit singulis quibusque ex sententia et voluntate satisfacere. Discerpere autem rem in plures scriptiones nolui ob eam causam, ut omnibus partibus in unum quasi corpus confusis, quae et rationis universae et singulorum quasi membrorum vis et utilitas et tractatio esset, facilius perspici posset.

[8]) Jenischius iam ineunte hoc saeculo hanc pravitatem doluit his verbis (p. 256): „Zu bedauern ist es, dass der notwendige wissenschaftliche Encyclopädismus, der einmal oberstes Princip alles Schulunterrichtes bleiben muss (???), der Jugend so wenig Zeit zur Bearbeitung dieses wichtigen Zweiges (Demosthenes) der schönsten Geistes- und Geschmacksbildung übrig lässt.“ Atqui interim puerorum disciplina non in meliorem, sed in deteriorem partem inclinavit.

De troporum et figurarum ratione universa.

Ad rem ipsam aggredienti mihi, etsi non de troporum et figurarum universa ratione scribere, sed Ciceronis et Dem. usum et tractationem perlustrare in animo est, tamen, ut disputatio ratione et via progredi possit, aliqua de ipsa harum rerum doctrina praemittenda esse videntur. Cum igitur omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distribuatur, ut debeat reperire primum, quid dicat, deinde inventa non solum ordine sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere, tum ea vestire atque ornare oratione, post memoria saepire, ad extremum agere cum dignitate ac venustate[9]), cumque ipsius orationis sive elocutionis variae commemorentur virtutes, quarum aliae necessariae sunt ut perspicuitas, aliae tum assumuntur tum desunt ut ornatus, etsi nulla fere dicendi pars eo plane caret: tamen tropis et figuris ornatus illustrissima pars continetur. Atque de hoc quidem orationis ornandae genere vel potius generibus iam inde a Theophrasto, qui primus hanc doctrinam accuratius persecutus esse dicitur, plurima a plurimis et grammaticis et rhetoribus et philosophis scripta et disputata sunt, neque tamen adhuc res ad eam perducta est claritatem et perfectionem, quam in aliis artibus et disciplinis eisque multo obscurioribus magisque reconditis invenimus, immo vero in nullo artis universae genere maior mihi inesse videtur perturbatio et confusio non modo rerum sed etiam nominum. Cuius rei causa non ex veterum rhetorum more hunc locum tractandi, ut quidam putaverunt, repetenda, sed in ipsa totius huius rationis natura et condicione posita esse mihi videtur. Nam ut lingua universa ita mollis est et flexibilis, ut sequatur quocunque torqueas et sententiae formantur paene innumerabiliter neque omnia in hoc genere ad certam et definitam rationem revocari possunt, ita etiam haec ornandi genera, praesertim cum in eis arbitrium et libido multo magis quam in linguae ratione generali dominetur, tam sunt varia tamque multiplicia, ut non

---

[9]) Cic. de or. 1, 142.

facile sit vel potius fieri nullo modo possit, ut omnia ad propriam et fixam normam sive regulam dirigantur. Adde, quod pleraque haec ornamenta neque inter se neque a communi loquendi consuetudine fere differant genere, sed gradu tantum, ut difficillimum sit statuere, quo usque et totius generis et singularum partium vis et ratio valere et pertinere putanda sit; neque minoris ob hanc ipsam causam est laboris et negotii totam rationem in genera et formas distribuere. In re igitur tam infinita et arbitraria non mirandum est, quod termini ab aliis longius proferuntur, ab aliis reducuntur, neque magno opere illi veteres reprehendendi sunt, quod causas definitionum et distinctionum suarum non ex intima rerum vi et natura derivarint, sed externas quasdam notas secuti constituerint. Neque enim aliter res cognatae et multis ex partibus inter se contingentes distingui possunt, neque in eis rebus definitio, quae proprie dicitur, sed descriptio tantum fere locum habet. Neque omnino hic locus in artem redigi unquam poterit, si quidem ars continetur rebus cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus neque unquam fallentibus et ab opinionis arbitrio seiunctis, sed semper in observatione tantum versabitur atque quaedam in hoc genere aliquamdiu in usu erunt et florebunt, postea rursus obsolescent et morientur, alia autem subnascentur et vigebunt.

Propter eandem hanc incertam et lubricam huius rei rationem neminem neque ex illis veteribus neque ex his recentioribus de hac re scriptoribus per omnes partes quasi ducem et auctorem sequar, sed meo utar in eligendo iudicio, quantulumcumque est, idemque ut res vel etiam, ubi nihil intererit, libido feret, tum ab hoc tum ab illo aliqua mutuabor. Discrepantes autem scriptorum sententias tum demum leviter perstringam, ubi rei ipsius illustratio postulabit; denique cum Quintiliano rem tenere studebo de nominibus non magno opere laborans, plurimum autem operae in eis ponam, in quibus inter plerosque artium scriptores consensus est quorumque tractatio et usus ad scribendum et dicendum maxime pertinet.

In generum autem divisione eo qui a veteribus traditus est et vulgo receptus ordine servato primum de eis dicendi ornamentis agam, in quibus apparet translatio aliqua, id est, verbum ex eo loco, ubi proprie dicitur, in eum transfertur locum, ubi non est proprium, ut cum pro gladio mucro vel Vulcanus pro igne vel mala in re publica morbi dicuntur; quod genus a Graecis τρόπος vocari solet. Deinde ad figuras accedam, quae exornationes propriis verbis conficiuntur; eae rursus in duo genera, id est, in sententiarum et verborum figuras distribui solent. Atque harum ea ratio esse dicitur, ut in verbis tantum oratio ita conformetur, ut maior quaedam aut varietas consequatur aut nitor, illarum autem vis in eo consistit, ut etiam sententia et quasi anima orationis artificiosis quibusdam formis dicendi immutetur. Quamquam cum omnis figurarum ornatus elocutioni tantum serviat, dubitari possit, num omnino sententiarum figurae admittendae sint. Sed hic vocem sententiae non

eo accipi sensu puto, quo sententia et res verbis opponi solent, sed eo, quo singula verba ei verborum coniunctioni opponuntur, quae plenum aliquem sensum efficiunt, quod Germanice verbo „Satz“ exprimere solemus. Verborum igitur figurae spectantur in verbis singulis, in sententiis autem vel enuntiationibus sententiarum figurae.

Ex eis autem partibus troporum et figurarum, quae a veteribus traduntur, multa resecanda sunt, quod nisi fiet, res in immensum serpet. Nam quidam eorum ut incertus auctor ap. Speng. III. p. 111 sqq., qui suas se figuras ex Hermogene aliisque excerpsisse profitetur, etiam tales dicendi formas in figuras recepit, quae fere in secunda quaque sententia occurrere solent. Omnia igitur removebo, in quibus non aut fictio vel simulatio aut aliqua ars maior — quae tamen qualis sit universe nec satis commode nec perspicue definiri potest — deprehenditur. Ut a quibusdam προδιόρθωσις, προπαρασκευή, προκατάληψις, similia ad sententiarum figuras relata sunt; sed quid magis secundum naturam est quam ea praemunire, quae nisi diligentissime praeparaveris vehementer offenditur? Itemque ea praetermittam, quae propter ipsam naturam suam non possunt certis aut fixis terminis circumscribi ut συναθροισμός et ἐπιτροχασμός. Nam quibus et quot vel verbis vel membris coacervatis συναθροισμὸν, vel quibus inter res singulas, quae conferuntur, intervallis interiectis ἐπιτροχασμὸν existere existimemus? Ea igitur praetereamus.

Postremo, priusquam ad singula tractanda aggrediar, in hac parte generali etiam aliqua de subsidiis praemonenda sunt, quibus in his conscribendis usus sum. Atque in Ciceronis[10]) orationibus excutiendis et citandis editionem a Baitero et Halmio curatam eosque libros secutus sum, quos hic in usum scholarum separatim edidit, in Dem. adhibendo lectionem Dindorfianam, exclusis illis orationibus, quas spurias esse aut inter omnes aut plurimos constat: VII. X. XI. XII. XIII. XVII. XXV. XXVI. XXXV. XL. XLII. XLIII. XLIV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. LII. LIII. LVIII. LIX. LX. LXI. Praeterea magno mihi usui fuerunt Rhedantzii editio XII. orationum Demosthenicarum, Kayseri notae, quas editioni Cornificii adiecit, Blassii liber, qui inscribitur „Die attische Beredsamkeit“ (Leipz. 1877); de Demosthenis figuris separatim scripsit Tiberius (ap. Speng. III, 61 sqq.), cuius liber me non multum adiuvit. In doctrina troporum et figg. constituenda secutus sum Cornificii rhetoricorum ad Her. libros IV et Quintiliani institut. orat. lib. XII (ed. Halm.), quibus de hac re plurimum tribuendum esse censeo; praeterea ex veteribus usus sum ipsius Ciceronis libris rhetoricis, in quibus

---

[10]) Quia opusculum meum magna ex parte locis citatis conficietur, ne spatiosius fiat, quam eius modi scriptioni conveniat, in hac re maxime brevitati studendum est, ob eamque causam in utroque auctore adhibendo paragraphos tantum indicabo etiam tum, cum ap. Cic. finis capitis in mediam paragraphum incidit.

hunc eundem magis eloquentiae quam accurationis gloriam quaesivisse bene monet Kayser in praefatione editionis suae Cornificianae, eisque rhetorum scriptis, quae Spengelius et Halmius collegerunt; in quibus cum alia multa parvi pretii sunt, tum Zonaeus et Anonymus (ap. Speng. III. 161 sqq. 174 sqq.) Alexandri libro (ib. 1 sqq.) usi esse videntur, Anonymus autem ipse Zonaeum non numquam ad verbum exscripsit. Eiusd. Alexandri librum secutus est Aquila Romanus (Halm. 22), quem rursus Martianus Capella in figurarum doctrina (ib. 478 sqq.) saepe ad verbum sequitur. Praeterea Tryphoni (ap. Speng. III. 191 sqq.) affines sunt reliqui troporum scriptores Anonymus, Gregorius Corinthius, Cocondrius, Georgius Choeroboscus (ib. 207 sqq. 215 sqq. 230 sqq. 244 sqq.) itemque apud Halmium complures rhetores ex Quintiliano pendere videntur, quam quidem rem non mihi licuit diligentius exquirere, Beda autem Ven. vestigia grammaticorum Donati, Charisii, aliorum secutus est. Recentiorum adhibui hos libros: Volkmanni „Die Rhetorik der Griechen und Römer“ (Leipz. 1874), eiusd. Hermagoram, G. Gerberi: „Die Sprache als Kunst“ (Bromb. 1871 et 1873), Monsei commentationem et dissertationem *Veterum rhetorum de sententiarum figuris doctrina* (Vratislaviae et Waldenburgi 1874), Dzialae commentationem, quae inscribitur *Rhetorum antiquorum de figuris doctrina* (Vratislaviae 1869), Kleutgenis S. J. Artem dicendi (Taurini 1876), Grossii „Die Tropen und Figuren“ (Köln 1880), Vossii Commentariorum Rhetoricorum libr. VI (Lugd. Bat. 1643). Quibus praeterea ad singulas partes auctoribus usus sum, eos suo quosque loco afferam. Sed iam separatim

De tropis

agendum esse videtur. Atque ut tota ratio facilius perspiciatur, licebit initium rei demonstrandae aliquanto altius repetere, quam plerumque fieri solet. Neque enim solum ei tropi sunt habendi, qui vulgo in rhetorum et grammaticorum libris enumerantur, sed Gerber[11]) recte videtur monere, omnia verba et vocabula rerum, quae iam inde ab initio linguae et loquendi esse coeperunt, tropos esse putandos. Atque huius rationis causa posita esse videtur et in ipsa verborum natura et in modo nostro res cognoscendi. Verborum enim ea vis est et condicio, ut signa tantum sint earum rerum, quas indicant, a notis quibusdam modo magis modo minus propriis deducta. Natura autem fert, ut eius generis signa numquam perfecte aut absolute id repraesentare possint, cuius significandi causa adhibentur; quo fit, ut ratio synecdoches in lingua universa latissime pateat. Cognoscendi porro res in nobis ea est ratio, non ut protinus ad ipsam rerum vim et naturam penetremus aut ipsum quid et quale quidque sit intueamur, sed ut paulatim et gradatim

[11]) vol. I. pag. 333.

ab exterioribus rerum, ut dicitur, phaenomenis vel ab eis, quae efficiuntur rebus, comparatione et collatione rationis atque distinctione ad ipsarum rerum cognitionem ascendamus. Neque si omnem earum rerum, quas intellectus nostri modulus capere potest, quasi orbem emensi erimus, nisi ex parte aliqua cognitas eas habebimus, ut verissime scribit Paulus Apostolus, vir et sanctissimus et sapientissimus [12]), idemque ait omnem nostram intelligendi vim et rationem mancam esse et inchoatam. Unde fit, ut etiam in dicendo et loquendo, quae facultas ex intelligendi ratione nascitur, troporum gravissimorum rationes, synecdoches, qua insigni aliqua parte vel nota totam rem designamus, et metonymiae, qua aut ab effectis ad efficientia adscendimus aut ab his ad illa delabimur, et metaphorae, qua res comparatione et collatione cum aliis rebus similibus exprimimus, etiam in lingua et gignenda et educanda ac perficienda latissime pateant vel potius omnia occupent. Neque vero ad hanc rem quidquam refert, quam quisque de origine linguae vel linguarum sententiam sequatur. Etiam in ea de linguarum exordio opinione tuenda, quae sine dubio proxime ad veritatem accedere videtur, qua existimatur, primo homini facultas res per linguam significandi a Deo perfecta et exculta contigisse [13]), eandem troporum rationem ad sermonem ab initio formandum maximam vim habuisse existimandum est; nam Deus hanc facultatem homini ita impertivit, ut eius natura et ratio cognoscendi postulabat. Idem linguarum quoque historia et investigatio atque omnia lexica testantur; nam etiam in eis verbis, quorum vis et interpretatio varia et multiplex est, plurimas significationes ex troporum ratione nasci apparet. Sed in eis linguis, quae iam multa saecula in usu fuerunt ad eamque subtilitatem perductae sunt, quam in Latina et Graeca Demosthenis et Cic. aetate summam fuisse scimus, in plerisque verbis ille translationis quasi color multo usu iam ita detritus fuit, ut vix iam aut sentiretur aut attenderetur. Neque tamen hanc universam troporum rationem perquirendam sumpsi, quod si facere velim, unius cuiusque verbi quasi historia usque ad primordia rerum omnium humanarum replicanda sit, sed illud quaeram, quales illi auctores dicendi in eis tropis adhibendis exstiterint, qui etiam illo tempore vigebant et sentiebantur ac maioris et elegantioris ornatus causa asciscebantur. Quod exquirere aggredienti mihi summa difficultas in eo verti videtur, quod

---

[12]) Corinth. I. 13, 9 et 12. [13]) Neque enim *mutum et turpe pecus* (Hor. sat. 1, 3, 100) omni feritate et immanitate inquinatum Deus Optimus Maximus hominem initio rerum humanarum in terra destituit neque puerum infantem vel balbutientem formavit, sed in summa absolutione et perfectione praecipuis quibusdam et coelestibus donis praeditum posuit. Atque haec erat illa aetas aurea vereque beata, quae poetarum carminibus et omnium gentium fabulis canitur et celebratur (cf. Tacit. ann. III, 26). Feritas autem et immanitas et illa antiquior et haec recentior, quae in huius saeculi moribus versatur et grassatur, neque inde proficiscitur, unde repetendam esse corruptores quidam miseri sibi ipsis et aliis persuadere conantur, neque istis remediis sanatur aut tollitur, quibus isti homines opinantur malum curari et amputari posse.

hanc translationis sive tropi vim in exemplorum paene infinita multitudine exstitisse et apparuisse etiam tum constat, quae tamen ita saepe usurpabantur, ut et propter immensam multitudinem difficiles sint ad colligendum et ob hanc ipsam frequentiam non iam efficacioribus ornandi generibus accensenda. Neque accurate definiri nec circumscribi posse puto, quem ad finem universa huius rei ratio valeat. Itaque rem hoc modo tractandam esse statui, ut communem unius cuiusque tropi usum obiter tangerem et rariora tantum exempla plenius et accuratius enumerarem.

Atque Aristoteles [14]) quidem nomine metaphorae omnem troporum rationem comprehendit; necdum enim illis temporibus haec doctrina exculta erat. Quintiliani [15]) autem sententia *tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* Donati [16]) eiusdem rei haec est definitio: *tropus est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem*, quocum ad verbum conspirant Charisius et Beda [17]). Ut autem recentiorum quoque aliquem audiamus, G. Hermannus [18]) sic eorum vim explicavit: *troporum haec est natura, ut, cum aliud pro alio nominetur, animo quasi campus aliquis aperiatur, in quem aliarum rerum varietate allectus libere possit excurerre.* Idem tamen in prosa oratione tropum unice cognitioni inservire scribit, neque omnino troporum prosae orationis aliam esse virtutem, quam ut significationem rei per tropum indicatae augeant [19]).

Plerique rhetores eos aut ornatus aus necessitatis gratia assumi dicunt, Isidorus [20]) ut amandam esse proprietatem, ita aliquando propter humilitatem sordidi aut spurci vocabuli translatis nominibus esse utendum censet; et Kleutg. [21]) delectari ait animum rerum plurium et saepe dissimillimarum comparatione excitatum et sermonem eo ipso incundiorem esse, quod variatus et a ratione vulgari et trita remotus sit, atque saepe fieri, ut rei ipsius naturam repetita ab aliis rebus nomina illustrius declarent. Idem [22]) praecipit, ne sint tropi otiosi, ne frequentiores, ne dedeceant, ne longius sint arcessiti [23]). Audaciores autem tropos molliri scribit verbo aliquo interpositio ut ‘tamquam, quasi, ut ita dicam’, similibus. Quae porro genera, quae species, qui numerus cuique subiiciatur, de ea re inexplicabilem et grammaticis inter ipsos et philosophis pugnam esse tradit Quintil. l. c. Et Volkm. [24]) eorum tantum, qui a Quintil. nominentur, rationem existimat esse habendam. Ego quidem nihil puto attinere singulorum hic huius generis scriptorum divisiones et nomina exhibere, in singulis autem formis explicandis cum Quintil. omissis cavillationibus necessarios maxime atque receptos tropos exsequar, neque tamen aut huius aut alius cuiusquam vestigia anxie

---

[14]) Poet. cp. 21. ed. Vahlen, quem locum Gerber II_1, 26 sqq. fusius exposuit. [15]) 8, 6, 1. [16]) ap. Keil. IV, 399; [17]) ib. IV. 272., ap. Halm. 607. [18]) opuscc. acad. I, 99. [19]) cf. Tryph. ap. Speng. III, 191, Greg. ib. 215 etc. [20]) ap. Halm. 516. [21]) p. 46. [22]) p. 57 sqq. [23]) cf. Isid. l. c., Albin. ap. H. 544, Volkm. Rhet. 467. [24]) Volkm. Hermag. 256.

premam, sed undecumque aliquem fructum elici posse sperabo, libenter assumam. In quo neque Quintiliani sententia, qua etiam propriis verbis tropos confici posse arbitratur, locum habere potest, quod nisi fieret, omne troporum et figurarum discrimen tolleretur, neque illi, qui inopiae vel necessitatis causa adhiberi dicuntur, hic numerandi sunt ob hoc ipsum, quod non ornatus causa usurpantur. Sunt autem tres quasi fontes omnis tropicae dictionis. synecdoche, metonymia, metaphora, quo omnia, quae in tropos cadunt, revocanda esse puto. Ac primum quidem

De synecdoche

disputandum est, qua nomina earum rerum permutantur, quarum alterius cum altera ratio aliqua intercedit ut partis cum toto [25]). Primum autem hunc tropum idcirco posui, quod nusquam tanta inter tropum et rem per tropum elatam cognatio vel necessitudo reperitur. Etiam huius dicendi formae Gerber [26]) recte monet usum in lingua gignenda et excolenda latissime patere, quod cum aliis exemplis persequitur, tum ex Latina lingua nomen serpentis affert. Quintiliani [27]) sententia *haec variare sermonem potest, ut ex uno pluris intelligamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra, liberior poetis quam oratoribus. nam prosa, ut mucronem pro gladio et tectum pro domo recipiet, ita non puppem pro navi nec abietem pro tabellis, et rursus, ut pro gladio ferrum, ita non pro equo quadripedem.* A Cornif. intellectio, ab Albino [28]) synecdochica translatio dicitur. Difficilis est eius a metonymia distinctio; nam ut iam illud Quintiliani *praecedentibus sequentia* [29]) haud scio an melius metonymiae subiungatur, quod talis permutatio tum fere fit, cum praecedens aliqua ex parte causa est sequentis, ita Anonymi [30]) *ἀπὸ τοῦ συμβόλου τὸ κύριον* et *ἀπὸ τοῦ περιέχοντος τὸ περιεχόμενον* et alia id genus certe illi vindicanda erunt. Etiam cum materia pro re ex ea facta ponitur, est cur hanc formam metonymiae subiicias, quia haec, quamquam non habet vim efficiendi, tamen, quod res sine ea effici non potest, aliqua ex parte in ratione causae versatur. Saepe revera utriusque tropi ratio in uno eodemque deprehenditur exemplo, ut cum dicas Scipionem Carthaginem delevisse, vox Scipionis una ex parte in synecdochen cadit, quod Scipio pars erat exercitus, ex altera parte, quod Scipionis et exercitus eadem fere ratio erat, quae est instrumenti et eius, qui instrumentum tractat, etiam eius metonymiae particeps est, quae efficitur, si causa principalis pro secundaria ponitur. Neque porro in synecdoche recte

---

[25]) Kleutg. 52. [26]) vol. I. 363. [27]) 8, 6, 19. [28]) Cornif. 4, 33, 44; Halm. 545; praeterea copiosissime tractatur a Gerb. II_1, 34 sqq. Voss. IV. 135 sqq. Gross. 43 sqq. cf. Tryph. ap. Speng. III. 195 sq. Cocondr. ib. 236, Greg. Cor. 219, Georg. Choer. 248, Beda ap. H. 613, Mart. Cap. ib. 474, Charis. ap. Keil. I. 274. [29]) exemplo est Hom. A, 3 et λ, 245. [30]) ap. Speng. III. 210.

tractanda non multum refert, qua potissimum parte ad rem totam significandam utaris; sed ut quaeque maxime ad rem, quae quoque loco agitur, pertinet et plurimum ponderis habet ad eam perficiendam vel vehementissime sub sensus cadit, ita potissimum adhiberi solet, licet non sit semper excellentissima, si per se rem spectes. Ac natura fert, ut ea synecdoches forma, in qua pars pro toto dicitur, multo sit frequentior quam ea, qua totum pro parte ponitur. Saepissime enim fit, ut una aliqua pars oculos tota re vehementius feriat; inprimis poetae frequenter pro universa re ea parte, quae rem maxime sensibus admovet, utuntur.

Hinc est illud *trabe Cypria* et illud *fluctus Icarii* etc.; Soph. Ai. 85 habet: *ἐγὼ σκοτώσω βλέφαρα καὶ δεδορκότα·* Hor. carm. 3, 4, 28 *nec Sicula Palinurus unda*; Hom. *Λ*, 55 *πολλὰς ἰφθίμους κεφαλὰς Ἄϊδι προϊάψειν·* simile est illud Horatii (carm. 1, 24, 2) *tam cari capitis.* Ne Cic. quidem talibus plane caret, ut in Ph. XI, 1 legitur *haec capita taeterrima*; cf. Quinct. 8; Mil. 58 etc.; a Dem. sic usurpatur de cor. 153 *ἡ μιαρὰ κεφαλή·* cf. leg. fals. 313; Mid. 117; 135; 194; XLV, 81 est *σῶμα σεσωκώς·* in Leptinea 77 *αἰχμάλωτα σώματα·* cf. XIV, 16 sq. Ex Cic. praeterea huc trahi possunt: V. 3, 3 *vitam suam pluribus quam vellet observari oculis arbitrabatur*[31]); leg. ag. II, 71 *arenam;* dom. 48 *non bipedum solum, sed etiam quadripedum impurrissimo*; Ph. XIV, 6 *nisi mucrones etiam militum tremere vultis* etc. Caecin. 35 *limine tectoque*; Cat. I, 33 *tectis urbis ac moenibus*; ib. 15 *potestne tibi haec lux aut huius coeli spiritus esse iucundus?* Pis. 77 *mortales* etc.

Eadem est ratio, cum pro genere species sive forma vel rursus pro specie individuum ponitur; huc multa coniiciam, quae alii antonomasiae, de qua mox dicetur, subiiciunt. Sic communiter pro viro forti Hercules, Homerus pro poeta praeclaro, Irus pro mendico, Croesus pro opulento, Nero pro homine crudelitate insigni, Aristarchus pro quovis severo existimatore, Maecenas pro homine artium fautore, Xanthippe pro uxore iurgiosa, Machaon universe de medicis, Deiphobus de quovis adultero, Sardanapalus de quolibet homine effeminato, Demosthenes de homine eloquentia excellenti, Tempe de omni valle amoena (cf. Hor. carm. 3. 1, 24: *zephyris agitata Tempe*) usurpantur. Ex Ciceronis libris huc spectare videntur: Ph. II. 32 *in huius me tu consilii societatem tamquam in equum Troianum cum principibus includis*; cf. V. 4, 52; Mur. 78, Cael 67; V. 5, 28 occurrit: *erant exitus* (conviviorum) *eius modi — ut quivis se Cannensem pugnam nequitiae videre arbi-*

---

[31]) In oratt. Verrinis designandis brevitatis causa actionem primam nota 'V. I', actionis secundae libros his signis denotabo: V. 1, V. 2, V. 3 etc., 'l. a.' erit pro formula de leg. ag., Ph. = Phil., Pomp. = de imp. Cn. Pomp., p. r. s. = or. p. redit. i. sen., p. r. p. = or. p. redit. ad. pop.; in Demosthenis oratt. indicandis plerumque numeris utar.

traretur; cf. Rosc. A. 89; et Ph. I, 11: *Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur*; cf. V. 5, 31; Ph. XIII, 25. De prov. c. 9 invenitur: *An vero in Syria diutius est Semiramis illa retinenda?* Simili ratione usurpatur Cael. 18 *Palatinam Medeam*, V. 4, 23 *Phaselis*, Pis. 53 *Maeandros*, Mil. 18 *tragoedias* (cf. Dem. de cor. 13), Caecil. 57 *Circaeo poculo*, V. 2, 136 *Athenionem*, Pis. 39 *Paule*, ib. 37 *Epicure*, id. ib. 59, Ph. VI, 10 *Africanus*, ib. XIII, 22 *Spartace*, id. ib. IV, 15, Rosc. A. 90 *Priamum*, ib. 97 *Automedontem*, Quinct. 80 *Pegasos*, Mil. 33 *Palladium*. Ex Dem. etiam XIX, 148 huc referendum est: *κακῶν Ἰλιὰς περιειστήκει Θηβαίους*· iam admodum detrita fuisse videntur V, 26 *περὶ τῆς ἐν Δελφοῖς σκιᾶς πολεμῆσαι* ductum ex locutione proverbiali *περὶ ὄνου σκιᾶς π.* et XXIV, 47 *ἐν παραβύστῳ τὸν νόμον εἰσήνεγκεν*. Ex Cic. praeterea Ph. II, 98 commemorandum est: *cur eos habes in loco patrui?* Num etiam talia Rosc. A. 90 *Marios*, Cael. 39 *Fabricios*, V. 2, 192 *Crassi*, *Antonii*, V. 3, 209 *Laelios*, l. a. II. 64 *Luscinos*, ib. 93 *Blossios*, dom. 89 *Lentidios*, *Lollios*, *Plaguleios*, *Sergios* etc. huc revocari possint, dubito, quia et in consuetudine loquendi communi versabantur et alio quoque trahi queunt, cum hic pluralis pro singulari videatur adhiberi.

Nec raro singularis pro plurali invenitur, quod quidem usurpari non posse monet Kleutgen l. c., nisi unus ille et plures unum aliquid totum constituant. Huc etiam Bedae[32]) syllepsis in sensu cadit ex una parte, ubi pro multis unus vel pro uno multi ponuntur, ut (Psalm. 78 [77], 45) *Inmisit in eos muscam caninam, et comedit eos, ranam, et exterminavit eos.* Apud poetas talis usus satis pervagatus est, ut Eur. Heracl. 805: *τί τήνδε γαῖαν οὐκ ἐάσομεν καὶ τὰς Μυκήνας μηδὲν ἐργάσει κακὸν ἀνδρὸς στερήσας*[33]); Verg. Aen. 2, 20: *uterumque armato milite complet.* Cic. ex hoc genere offert: Balb. 23 *quae est ista societas, ut nostra civitas careat Massiliensi* p r o p u g n a t o r e, *careat Gaditano, careat Saguntino?* V. 5, 27 *reticulum plenum* r o s a e; similiter adhibetur l. a. I, 21 *militem-hostem*, dom. 52 *cistophorum.* Haec fere de hac parte commemoranda esse videbantur: nunc eam partem obiter attingamus, qua licet totum pro parte ponere, cuius generis multo pauciora exempla reperiuntur.

Atque pluralis pro singulari positi exemplum citat Beda Psalm. 2, 2: *Astiterunt reges* (Herodes) *terrae* etc. Etiam ap. Cic. V. 5, 14 occurrit *dominos*, etsi de uno agitur, similiter V. 4, 37 *pupillis*, Sest. 3, 5 *alii*, Cat. II, 20 *desinant proscriptiones et dictaturas cogitare*;

---

[32]) H. 608. [33]) In locis Euripideis citandis adhibui editionem Bothei praeter Heraclidas, in quibus editionem Baueri, et Phoenissas, in quibus Kinkelium secutus sum; in Aeschyli tragoediis adhibendis Dindorfii editione usus sum, in Sophocle, quia non alius liber ad manus erat, fere Staegerianam versuum rationem secutus sum praeter Oedipodem regem et Aiacem, in quibus Weckleinii editiones evolvi.

fusius hanc rem Naegelsbachius [34]) tractat; sed exempla illa 'studia atque facta, mali et boni mores, sensus, angores, operae, actiones, curationes, officia, dicendi praecepta, species, descriptiones temporum, manus' etc. magis grammaticam quam rhetoricam attingunt rationem. Idem dici potest de his Demosthenicis exemplis XXX, 15 *μετὰ τοὺς γάμους*, 21 *ἀσφαλείας*, XVIII, 246 *βραδυτῆτας*. Neque magis pluralis modestiae, qui dicitur, ut Sull. 24 *si tibi nos peregrini videmur*, maioris ornatus vim habet.

Genus autem pro specie vel species pro individuo dicitur, cum orator pro Cicerone vel philosophus pro Aristotele vel poeta pro Homero etc. ponuntur. A Graecis ita '*ἄστυ*' Athenae appellantur, a Romanis 'urbs' Roma eademque est ratio, cum Poenus vel Romanus pro utriusque populi imperatore dicitur; neque vero hoc aut in Ciceronis aut in Dem. orationibus deprehendi. Etiam elephantus pro ebore, *βοῦς* pro eius pelle, itemque *ἀλώπηξ*, murex pro veste murice tincta solis poetis concessa videntur.

Postremo quasi praeteriens genus quoddam dicendi commemorare velim, cum pro toto aut omnes partes aut insignes aliquae adhibentur, ut Hor. sat. 1, 1, 85 *pueri atque puellae*, ib. epist. 2, 1, 117 *Scribimus indocti doctique*, ib. 1, 1, 55 *haec recinunt iuvenes dictata senesque*. Huius gen. Cic. cum talia exhibet exempla V. 1, 31 *noti ignotique*, tum luculentissimum illud Ph. XIII, 45: *Omnes te di homines, summi medii infimi, cives peregrini, viri mulieres, liberi servi oderunt.* Similiter Dem. negationis rationem quam vehementissime illustrat de cor. 310 hoc modo: *οὐδαμοῦ σὺ φανήσει γεγονώς, οὐ πρῶτος, οὐ δεύτερος, οὐ τρίτος, οὐ τέταρτος, οὐ πέμπτος, οὐχ ἕκτος, οὐχ ὁποστοσοῦν.* Sed haec hactenus: nunc ad eum huius g. locum transeamus, qui a Graecis

Hyperbole

appellari solet. Quae synedochae ideo subiicitur, quod res per eam enuntiata quasi pars est eius rei, quae in oratione ponitur. Est autem h. *dictio fidem excedens augendi minuendive causa* [35]), vel ut Quintiliani verbis utar, *decens veri superiectio* [36]), ap. Cornif. [37]) superlatio est, a Cic. ipso describitur de or. 3, 203 *veritatis superlatio atque traiectio*; Aristoteles [38]) de ea dicit: *Εἰσὶ δὲ ὑπερβολαὶ μειρακιώδεις· σφοδρότητα γὰρ δηλοῦσι· διὸ πρεσβυτέρῳ λέγειν ἀπρεπές·* item Demetrius [39]) *ὑπερβολὴν ψυχρότατον πάντων* esse scribit pauloque

[34]) In libro: Lateinische Stilistik für Deutsche ed. V. p. 41 sqq. [35]) Beda ap. H. 615, quod ex grammaticis Latinis fluxisse videtur, ex quibus conf. Charis. ap. Keil. I. 275. [36]) 8, 6, 67 sqq. [37]) 4, 33, 44; eiusd. etiam significatio per exsuperationem 4, 53, 67 huc spectat; cf. praeterea Cic. part. 17, Tryph. Sp. III. 198, ib. Anon. 211, Greg. 221, Coc. 237, Georg. 252, Rufin. ap. H. 47, Gross. 59, Volkm. Rhet. 375, Monsei comment. 14, Gerb. II_2, 34 sqq. [38]) Rhet. ap. Sp. I, 145. [39]) περὶ ἑρμ. ap. Sp. III. pag. 289.

infra commemorat maxime ea uti comoediarum scriptores, quia ex incredibili risum captent. Etiam Kleutgenis[40]) sententia tum demum hyperbole recte utimur, *si quando in re non vulgari cum animorum motu versatur oratio.* Praeclara de ea praecipit Quintil. ita: *huius quoque rei servetur mensura quaedam, quamvis est enim omnis hyperbole ultra fidem, non tamen esse debet ultra modum nec alia via magis in cacozelian itur. — monere satis est mentiri hyperbolen, nec ita, ut mendacio fallere velit, quo magis intuendum, est, quo usque deceat extollere, quod nobis non creditur. pervenit haec res frequentissime ad risum: qui si captatus est, urbanitatis, sin aliter, stultitiae nomen adsequitur. est autem in usu vulgo quoque et inter ineruditos et apud rusticos, videlicet quia natura est omnibus augendi res vel minuendi cupiditas insita nec quisquam vero contentus est. — tum est hyperbole virtus, cum res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit. conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum est, non potest, meliusque ultra quam citra stat oratio*[41]). Adhiberi porro eam scribit Cornif. l. c. aut separatim aut cum comparatione; amplior est Quintiliani divisio *aut plus facto dicimus — aut res per similitudinem attollimus — aut per comparationem — aut signis quasi quibusdam — aut translatione. — crescit interim hyperbole alia insuper addita.* Ut synecdoches exempla allaturus in angustiis fui propter eorum paucitatem, ita hic difficile est modum tenere. Cornif. l. c. quod praeceperat de hac re, illustrat hoc exemplo: *Corpore niveum candorem, aspectu igneum ardorem assequebatur* et *cuius ore sermo melle dulcior profluebat.* Tryph. citat Hom. *K*, 437 *λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι*, quod Verg. Aen. 12, 84 ad verbum imitando expressit: *Qui candore nives anteirent, cursibus auras, et Δ*, 277 *μελάντερον, ἠΰτε πίσσα.* Quintil. praeter Ciceroniana, quae mox commemorabuntur, affert Verg. Aen. 1, 162 *geminique minantur in coelum scopuli;* indid. 8, 691 *credas innare revulsas Cycladas*, 5, 319 *fulminis ocior alis*, 7, 808 *illa vel intactae segetis per summa volaret gramina nec teneras cursu laesisset aristas;* et ex quodam iculari libello Ciceronis: *fundum Vetto vocat, quem possit mittere funda: ni tamen exciderit, qua cava funda patet.* Eodem referendi sunt loci illi Horatiani carm. 1, 1, 36: *sublimi feriam sidera vertice*, et 3, 3, 7: *si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae*, et Euripideus Herc. f. 601: *τὸ γῆρας βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ κρατὶ κεῖται.*

In exemplis a Dem. et et Cic. repetendis natura fert ut non omnia, in quibus orator simplicem veritatis rationem excessisse videtur, congerere possimus, sed excellentiora tantum eligere liceat. Atque multa huius g. ex sermone vulgari ascita esse videntur, ut haec Demosthenica: XVIII,

---

[40]) pag. 56. [41]) Apsines quoque (ap. Sp. I. 405) laudat hyperbolas, quod πάθος ποιοῦσιν, itemque Aristides (ap. Sp. II. 494) per eas σφοδρότητα γενέσθαι scribit.

120 *μυριάκις μυρίους κεκρῦχθαι·* cf. ib. 138, XIX, 228, 337, XXI, 141 etc. similiter dici videntur XIX, 39, *οὐδὲ γρῦ*, IV, 34, *ἀμύθητα χρήματα* (cf. XXI, 17); XVIII, 70 *οὐδ' εἰ γέγονεν οἶδα*, XIX, 112 *οὐδὲ διῆρε τὸ στόμα*, quod etiam in aliis oratt. saepe deprehenditur, XVIII, 149 *τριῶν ἢ τεττάρων χειροτονησάντων*, XIX, 206 *οὐδεὶς οὐδ' ἂν ἁμαρτὼν ἄλλον φήσειεν ἢ Φιλοκράτη*, XVIII, 48 *ἡ οἰκουμένη μεστὴ γέγονε προδοτῶν*, ib. 21 *οὐδ' ἂν σὺ διαρραγῇς ψευδόμενος·* cf. ib. 87; LIV, 41; forsitan etiam talia huc revocanda sint: XIX, 15 *πολλῶν ἀξίους θανάτων*, XXI, 118 *μυριάκις δίκαιος ἀπολωλέναι*, cf, ib. 21, XXII, 69, XXIV, 207. Ex Cic. huc trahenda videntur cum alia tum haec: V. 3, 58 *genera profero, infinitam multitudinem iniuriarum praetermitto* (cf. ib. 5, 3; 2, 118), Sest. 123 *miliens revocatum est*, V. 1, 125 *sexcenta decreta*, Quinct 19 *assem sese negat daturum*, V. 2, 26 *unam libellam* (cf. Font. 4), V. 3, 45 *glebam commosset nemo* (cf. ib. 109; l. a. II, 71; 82), V. 3, 114 *granum nullum* (cf. ib. 29; 44), V. 4, 33 *digitum discedere* (cf. Dei. 42), V. 1, 154 *Quis in circum maximum venit, quin uno quoque gradu de avaritia tua commoneretur?* Ph. II, 31 *cogitationem sobrii hominis punctum temporis suscipe* (cf. V. 1, 103); V. 1, 34 *hora nulla vacua furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur;* vulgaris dictio 'in diem vivere' etiam augetur Ph. V, 25 *hi, qui in horam viverent;* praeterea huius notae esse videntur: V. 2, 186 *erit vobis luce clarius* (cf. Cat. I, 6; Cael. 22), Ph. VIII, 25 *ferrei sumus*, quod saepius occurrit, Ph. II, 111 *respondebisne aut omnino hiscere audebis*, l. a. II, 70 *Sullanus ager a certis hominibus latissime continuatus tantam habet invidiam, ut veri tribuni pl. stridorem unum perferre non possit*, dom. 99 dirumpatur licet (cf. Vat. 16). Non ita multum ab his abhorrere videntur illi loci: Cael. 29 *dies me deficiat*, Rosc. A. 89 *tempus te citius quam oratio deficeret* etc. (cf. V. 2, 52; 4, 59; Dem. XVIII, 296 *ἐπιλείψει με λέγοντα ἡ ἡμέρα τὰ τῶν προδοτῶν ὀνόματα*, XXI, 129 *οὐδ', εἰ τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἡμῶν ὕδωρ ὑπάρξειε —, οὐκ ἂν ἐξαρκέσειεν*. Adde, quod adiectivum 'divinus' et ipsum nomen 'deus' tam saepe reperitur, ut in his paene omnis tropi vis consumpta esse videatur, ut Ph. XII 8 *coelestis et divina legio*, p. r. s. 8 *deus nostrae salutis*.

His accedant exempla huius modi: Cic. p. r. s. 1 *quae tanta potest existere ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita non dicam complecti orando, sed percensere numerando?* (cf. ib. 24); V 4, 67 *quae vox, quae latera, quae vires huius unius criminis querimoniam possunt sustinere?* Flacc. 44 *cum civitate mihi res est conficientissima litterarum, in qua nummus commoveri nullus potest sine quinque praetoribus* etc.; p. r. p. 14 *flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt;* Ph. IX, 2 *non recusavit quo minus vel extremo spiritu, si quam opem rei*

publicae ferre posset, experiretur; Quinct. 49 *infra etiam mortuos amandatur;* Rosc. A. 74 *numquam cum homine collocutus est;* ib. 19 *ut cruorem quam recentissimum telumque paulo ante e corpore extractum ostenderet;* V. 4, 33 *nulla in re quidquam simile hominis habere;* ib. 26 *crux etiam nunc civis R. sanguine redundat;* ib. 5, 180 *non idem licet mihi quod iis, quibus omnia populi R. beneficia dormientibus deferuntur;* Rosc. A. 12 *intra ipsa subsellia caedes futurae sunt;* Font. 47 *prospicite, ne ignis aeternus sacerdotis vestrae lacrimis exstinctus esse dicatur;* Mur. 28 *si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me esse iureconsultum profitebor;* V 1, 70 *ambustus evolavit;* V. 5, 100 *O spectaculum miserum! in portu Syracusano de classe populi R. triumphum agere piratam, cum praetoris oculos praedonum remi respergerent;* V. 3, 54 *antequam plane constitit, condemnatur;* V. 4, 37 *homini iam collum in laqueum inserenti subvenisti;* Ph. IV, 4 *se recipiebat cruentus sanguine civium;* V. 5, 143 *Carcer in istius imperio domicilium civium R. fuit;* similis est ratio loci illius Dem. XXIV, 164: *τὴν ἰδίαν οἰκίαν ἑκάστῳ δεσμωτήριον καθίστασαν.* Ex eod. praeterea hic notanda esse videntur illa: XXI, 131 *ὑβρίζων συνεχῶς ἅπαντα τὸν βίον*, ib. 130 *τόπος οὐδεὶς ἐ. ἐν ᾧ οὐ θανάτου πεποιηκότα ἄξια πολλὰ εὑρήσετε*, ib. 115 *ἆρ᾽ εἴ γ᾽ εἶχε στιγμὴν ἢ σκιὰν τούτων κτλ.* VIII, 39 *ἐχθρὸς τῷ τῆς πόλεως ἐδάφει.* Ex Cic. oratt. etiam hi loci comparentur Cat. III, 4, 26; Ph. II, 63; 114; Arch. 23; Rosc. A. 113.

Saepe audacia hyperboles mollitur appositis particulis ‘paene, prope, tamquam, quasi’, atque non numquam eius modi additamentis ipsa tropi ratio magis exprimitur et illustratur; Graece sic *μόνον ουχὶ* usurpari solet. In Cic. p. Rosc. A. oratione 68 legitur: *paene dicam, respersas manus sanguine paterno iudices videant oportet, si tantum facinus — credituri sunt,* Ph. II, 102: *vomere portam Capuae paene perstrinxiti,* Pis. 62: *spiculis prope scrutatus est Alpes,* V. I, 35: *quasi de industria in odium irruisse;* cf. Sest. 19; Cat. III, 2; 18; prov. c. 31; Cluent. 59; 163; Font. 24; p. r. s. 25; Sest. 130. Dem. habet XXIV, 87 *μόνον οὐχὶ προσέγραψε δίκην ἐξεῖναι λαχεῖν κατὰ τῶν δικαστῶν,* XXI, 105 *ἐφ᾽ αἵματι φεύγειν καὶ μόνον οὐ προσηλῶσθαι,* cf. V, 5.

Interdum etiam similitudine vel alia comparatione h. conficitur aut augetur, ut Cic. V. 5, 145 *versabatur in Sicilia alter, non Dionysius ille nec Phalaris, — sed quoddam novum monstrum ex vetere illa immanitate, quae in isdem locis versata esse dicitur. Non enim Charybdim tam infestam neque Scyllam nautis, quam istum in eodem freto fuisse arbitror; hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus et immanioribus canibus succinxerat. Cyclops alter multo importunior; hic enim totam insulam obsidebat, ille Aetnam solam et eam Siciliae partem tenuisse dicitur.* Et ib. 4, 131: *sic habetote, plures esse a Syracusanis istius adventu deos, quam victoria Marcelli homines desideratos;* 5, 116: *Secum ipse certat: id agit, ut semper superius suum*

facinus novo scelere vincat; cf. Cluent. 87; V. 1, 21; 2, 27; Vat. 9; prov. c. 4; Pomp. 28; 29.

Aliis tropis vel figuris ascitis vis hyperboles intenditur his locis; Cluent. 72 *ex fraude et mendacio* factus; Rosc. C. 20 *Nonne ipsum caput et supercilia — olere malitiam et clamitare calliditatem videntur? non ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur?* Pis 28 *foedus, quod, meo sanguine iceras, frangere noluisti* (cf. har. resp. 11); Ph. II, 35 *chirographorum officina;* Pis 62 *O tenebrae, lutum, sordes* etc. Cf. dom. 124; 131; l. a. II, 47; Ph. II, 59; Sest. 54. Volkm. laudat locum Terentianum Ad. 760: *ipsa, si cupiat, Salus servare prorsus non potest hanc familiam.* Similiter dicit Cic. Brut. 212 *genus* (Scipionum) *ex ipsius sapientiae stirpe generatum;* V. 3, 131 *Ecquod iudicium Romae tam — nummarium fore putasti, quo ex iudicio te ulla Salus servare posset?* Font. 21 *Salus ipsa innocentiam tueri non potest* (cf. Ph. XII, 17); V. 5, 171 *si haec — ad saxa deplorare vellem: tamen omnia muta atque inanimata commoverentur;* Rufin. (ap. H. 47) citat ex or. p. Scauro § 25: *Campus ipse me causam paene docuit Leontinus*; cf. Ph. X, 8; Cael. 60. Hyperbolae per correctionem, de qua in sententiarum figuris agetur, altera insuper additur Ph. II, 67: *quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quae si fuit, fuit animal unum: Oceanus, me dius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam cito obsorbere potuisse.*

Ex hac exemplorum collectione id apparere puto, non solum Ciceronem in hoc genere multo esse copiosiorem Demosthene, sed omnino procliviorem ad hoc dicendi genus fuisse; quod tamen non in eam partem acceptum velim, quasi Dem. non item ac ceteri plerique oratores rem saepe verbis auxerit, sed illud fere ita eum quasi surripuisse contendo, ut qui res, de quibus agebatur, non cognitas habebat, vix animadverteret. Contra Cic. in quibusdam partibus ut in omnibus paene perorationibus, deinde quotiescunqne oratio in adversarios inciderat Verrem, Clodium, Pisonem, Gabininm, Antonium, alios, quasi suo iure hyperbolis debacchatur. Nec minus ubi Pompeii mentionem facere incipit, in hoc dicendi genus delabitur, quem in. or. p. r. p. 16 virum omnium, qui sunt, erunt, fuerunt, virtute, sapientia, gloria principem appellat; cf. Balb. 9. Inter omnes autem eius orationes mihi duae post reditum habitu maxime istius modi veri superlationibus abundare videntur. Sed de hyperbole iam satis multa dicta esse videntur: pergamus ad illud genus, quod, cum hyperbolae quodam modo sit constrarium, ob eam causam et ipsum synecdochae subiicitur et a Tryph. (ap. Sp. III, 204).

Antiphrasis

appellatur. Idem ab Alex. (Sp. III. 37) *ἀντεναντίωσις* dicitur, quam tum locum habere scribit, *ὅταν τὸ ἐναντίον ὄνομά τινος τιθέντες αὐτὸ*

ἐκεῖνο σημαίνωμεν[42]). Haec dicendi forma a recentioribus *λιτότης* dici solet, quod nomen primum occurrit apud Servinm ad Verg. Aen. 1, 77: *litotes fit, quotiescumque minus dicimus, et plus significamus per contrarium intelligentes;* idem ad eiusd. Georg. I, 125 hoc adnotat: *dicitur λιτότης figurae genus, qua res magna modestiae causa extenuatur verbis.* Vossius (IV, 185 sq.) scribit ea, quae per negationem contraria significent, non semper esse λιτότητα, sed necesse esse plus significare negationem quam affirmationem; Dzialas eam (p. 23) inter figuras tractat, sed ab eis abiudicat[43]). Quaedam huius g. formulae iam ita sunt tritae, ut non amplius hic curandae sint: non ignorare, non invitus, haud dubie, non mediocriter, non nescius, non negligere, οὐχ ἥκιστα, οὐκ ἀγνοεῖν, οὐ χαλεπῶς, οὐδὲν χεῖρον, οὐ μικρόν, οὐκ ἄδηλον, οὐκ ὀλίγον etc. Tryph. l. c. respicit Hom. O,11 ἐπεὶ οὔ μιν ἀφαυρότατος βάλ' Ἀχαιῶν, et *A*, 330 οὐδ' ἄρα τώ γε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς, et γ, 484 τὼ δ' οὐκ ἀέκοντε πετέσθην· Eur. Phoen. 764 Eteocles de patris sui facto hoc loquitur: οὐκ ἄγαν σφ' ἐπῄνεσα. Ex Cic. solum afferamus V. 3, 22 *non parum multos*, Rosc. C. 27 *non leviter*, 43 *non magno opere* (cf. Rab. P. 21), V. 1, 121 *neque perfacete* (cf. Cael. 69), V. 2, 69 *non ignotus*, V. 5, 28 *non ignobili*, V. 3, 60 *non obscuris* (cf. har. r. 55), 152 *non ingratorum*, Cluent. 47 *non incallidus*, Tull. 14 *non moleste tulit*, Mur. 32 *non rudis*, Sest. 82 *non incautus*, Ph. II, 113 *minime avara* (cum ironia), Arch. 1 *non infitior*, V. 2, 182 *non nollent* (cf. Cat. III, 22; Pis. 82); sed haec quoque satis communia esse videntur.

Rariora autem ea sunt huius rei exempla, cum superlativus gradus negatur, ut Sest. 114 *non praestantissimis opibus*, Caecil. 67 *non inertissimum*, ib. 21 *non optime* (cf. l. a. II, 96; Flacc. fr. Med. Dei. 14), V. 2, 112 *non maximum* (cf. V. 4, 5; 14; l. a. I, 8; Arch. 21; prov. c. 25), V. 5, 8 *non acerrimus nec fortissimus*, V. 2, 36 *non promptissimum*, V. I, 15 *neque occultissime*, Flacc. 89 *non amplissimis*. Ex Dem. perpauca afferri possunt: XXVII, 27 οὐκ ἄπορος, L, 25 οὐκ ἀπείρως ἔχων, id ib. 49, ib. 8 μέρος οὐκ ἐλάχιστον. Ceterum hunc locum iam totum grammatici occupaverunt sibique vindicant. Neque multum a talibus abhorrere videtur ea loquendi forma, quae a Cornif. (4, 38, 50)

Deminutio

nominatur et sic describitur: *d. est, cum aliquid inesse in nobis aut in iis, quos defendimus, aut natura aut fortuna aut industria dicimus egregium: quod, ne qua significetur adrogans ostentatio, deminuitur*

---

[42]) cf. Greg. ib. 222, Coc. 233. [43]) cf. praeterea G. Hermann. opuscc. acad. I, 105; Gerb. II_2, 46 sq. Gross 63.

et attenuatur oratione, hoc modo: nam pro meo iure dico, me labore et industria curasse, ut disciplinam militarem non in postremis tenerem. Cic. eandem rem describit part. 22: *movet oratio, quae significat oratoris ipsius amabiles mores, — cum minuendi sui causa alia dici ab oratore alia existimari videntur*[44]. Ex Dem. huc spectat de cor. 221 *τυχὸν μὲν ἀναισθητῶν* (cf. ib. 277), XIX, 167 *οὐ γὰρ ἐμὲ γ' εἰπεῖν ἐμαυτὸν δεῖ, ἀλλὰ τὰ ἔργα καὶ τὰ πεπραγμέν' αὐτὰ δηλώσει.* Nec Cic. talibus plane caret: V. 3, 3 *quantulum dicere possemus ostendimus;* Caecil. 36 sq. *intelligo, quam scopuloso difficilique in loco verser. Nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio: neque est quod possim dicere —;* Planc. 66 *si quam habeo laudem, quae quanta sit nescio, parta Romae est;* Ph. II, 2 *non video* *i n h a c m e a m e d i o c r i t a t e* *ingenii, quid despicere possit A.* ib. VII, 8 *quantuscumque sum,* ib. XII, 21 *is sum, nisi me forte fallo, qui — perfecerim ut non obstarem rei p.*; cf. Cael. 9; Pomp. 2; Balb. 1; Ph. VII, 7; XII, 24. Sed quoniam de synecdoche eiusque partibus satis multa verba fecisse videor,

De metonymia

disputemus. Est autem haec *nominis pro nomine positio*[45] et *inventas ab inventore et subiectas res ab obtinentibus significat.* Apud Cornif.[46] *d e n o m i n a t i o est, quae ab rebus propinquis et finitimis trahit orationem, qua possit intelligi res, quae non suo vocabulo sit appellata — aut inventore inventum significatur — aut instrumento dominus — aut id, quod fit, eo, quod facit — aut id, quod facit, eo, quod fit — aut eo, quod continet, id, quod continetur — aut eo, quod continetur, id, quod continet —.* A. Cic. ipso traductio vel immutatio[47] vocatur et sic describitur[48]: *Gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus; ex quo genere haec sunt, Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro vino, Neptunum pro mari, curiam pro senatu, campum pro comitiis, togam pro pace, arma ac tela pro bello. — refert autem, in quantum hic tropus oratorem sequatur. nam ut 'Vulcanum' pro igne vulgo audimus et 'vario Marte pugnatum' eruditus est sermo, ita 'Liberum et Cererem' pro vino et pane licentius, quam ut fori severitas ferat. sicut eo, quod continetur, usus recipit 'bene moratas urbes' et 'poculum epotum' et 'saeculum felix': at id, quod contra est, raro audeat quis nisi poeta: iam proximus ardet Ucalegon*[49]. *nisi forte hoc potius est, a*

[44]) cf. Quintiliani ταπείνωσιν 8, 3, 48, Hermog. (Sp. II, 369) ἐπιείκειαν, Gross. 63, Kays. 302. [45]) Quintil. 8, 6, 23. [46]) 4, 32, 43. [47]) or. 92. [48]) de or. 3, 167. [49]) Verg. Aen. 2, 311.

possessore quod possidetur. illud quoque poetis et oratoribus frequens, quod id, quod efficit, ex eo, quod efficitur, ostendimus. nam et carminum auctores '*pallida mors aequo pulsat pede pauperum tobernas*' [50]) *et* '*pallentesque habitant morbi tristisque senectus*' [51]) *et orator* '*praecipitem iram, hilarem adulescentiam, segne otium*' *dicet* [52]). In dividendo rem non in tot quot Vossius habet particulas discerpere volui, sed Grossii fere vestigia sequar ac primum de eis metonymiae exemplis scribam, in quibus aliqua ratione causa vel auctor pro re effecta adhiberi videtur. Sed quia, ut iam supra monui, metonymiae usus ex ea cognoscendi qualitate emanat, qua saepe ab eis rebus, quae efficiuntur, ad id, quod efficit, progredimur, non numquam autem etiam causa notior vel illustrior est quam ea, quae ab illa proficiscuntur, natura fert, ut pleni huius g. exemplorum sint non modo poetarum omnium et oratorum libri, sed etiam consuetudo cotidiani sermonis. Ac poetarum paene propria esse videntur talia: *Ἥφαιστος οὐκ ἔλαμπεν* (Soph. Ant. 1007), *Ἅιδην πόντιον πεφευγότες* (Aesch. Agam. 667), *sub Jove frigido* (Hor. carm. 1, 1, 25; cf. ib. 22, 19), *curam dulci Lyaeo solvere* (ib. epod. 9, 37), *verax aperit praecordia Liber* (sat. 1, 4, 89), *Aulon fertilis Baccho* (carm. 2, 6, 19; cf. ib. 3, 16, 34), *rubicunda Ceres* (Verg. Georg. 1, 297), *ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα* (Hom. *B* 381; cf. Eur. Phoen. 134). Tamen etiam ex hoc genere Cic. aliqua exhibet exempla: V. 5, 27 *Veneri iam et Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur*, ib. 132 *in illa calamitate non Martem fuisse communem, sed Venerem possumus dicere*, Arch. 20 *neque quisquam est tam aversus a Musis* etc. cf. Sest. 12; Mil. 56; Marc. 17; Ph. II, 95; X, 20; hoc genus Graece *ἀπὸ τοῦ κυριεύοντος τὸ κυριευόμενον* vocatur.

Sequuntur exempla, in quibus ratio causae latius sumitur simulque etiam instrumentum talesque quasi secundariae causae comprehenduntur. Velut. ap. H. *Θ*, 43 est materia pro re ex ea facta: *χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ·* cf. Rosc. A. 32 *ferro*; Cluent. 66 legitur: *nihil dicetur, quod non dignum a u r i b u s vestris esse videatur;* V. I, 48 *Ita res agetur, ut non modo aures hominum, sed etiam oculi interesse videantur*; cf. V. 4, 39; Lig. 24; quod autem Cic. dicit Arch. 5 *studium atque aures adhibere*, 'aures' non solum pro huius sensus actione poni videntur, sed etiam eam vim habere, ut simul alio genere metonymiae intelligentiam seu iudicium seu facultatem de artis operibus recte existimandi significent. Eadem instrumenti ratio inesse videtur in hisce: V. 3, 8 *l i t t e r i s eius delectamini;* Sest. 60 *linguam se evellisse Catoni*; Ph. I, 27 *gladiorum impunitas* (cf. ib. II, 106), V.

---

[50]) Hor. carm. 1, 4, 13. [51]) Verg. Aen. 6, 275. [52]) Quintil. l. c. cf. Tryph. ap. Sp. III. 195, Greg. ib. 209, Coc. 233, Georg. 250, Charis. ap. K. I. 273, Donat ib. IV, 400, Bed. ap. H. 612; praeterea hunc locum copiosissime tractaverunt Gerber I, 383 et II_1, 53—71, Gross. 24 sqq. Voss. IV, 113 sqq. cf. etiam Volkm. Rhet. 360, Kayser. 298, Kleutg. 53 sq.

5, 28 *legibus, quae in poculis* (i. e. in bibendo) *ponebantur, diligenter obtemperabat;* Cluent. 123 *ne censorium stilum, cuius mucronem multis remediis maiores nostri rettuderunt, posthac pertimescamus;* quamquam hoc exemplum fortasse melius ei formae subiiciatur, quae mox tractabitur, qua signum pro re ipsa statuitur; hoc idcirco maiore observatione dignum est, quod hic, qnod raro usu venit, metonymiae ratio per plura verba ducitur. V. 3, 6 *secures* non signum potestatis praetoriae indicant, sed pro plagis ponuntur, quae securibns infliguntur. Similis est ratio horum locorum: har. r. 55 *plenus stupri, vini,* Dem. XXI, 180 *ἐδόκει οὐκ οἴνῳ τύπτειν* (cf. 74); Pomp. 40 *non devocavit — labor ad quietem* Flacc. 95 *trucidatas incendio* (i. e. ruinis incendio factis) *patriae sepelire;* Dem. XIV, 5 *πολέμους ἐπανορθῶσαι,* Hor. sat. 1, 1, 12 *Soles felices,* epod. 14, 11 *amorem non elaboratum ad pedem.*

Eadem ratio quae causae cum eo, quod ex ea efficitur, intercedit quoque substantiae cum accidenti. Has autem ipsas notiones latius quam philosophi solent hic accipiam. V. 2, 37 reperitur: *adiectum esse oculum hereditati* (cf. V. 5, 35); neque enim oculus in rem coniicitur, sed actio eius illuc dirigitur; similiter Cat. II, 10 *in vino et alea,* Pis. 42 *in cibo et vino,* Tull. 42 *sanguinem in iudicium venire,* Ph. XIII, 30 *sectorem Pompei* (cf. Ph. II, 78), V. I, 11 *quaestura — habet in se Carbonem spoliatum,* V. 4, 120 *ad Marcellum revertar,* cuius g. exempla innumerabilia sunt, Arch. 10 *ceteri irrepserint* (eorum nomina), V. 2, 64 epistola *totum immutarat hominem,* V. 5, 184 *Minerva, quam expilavit,* Ph. II, 43 *novus veniam,* dom. 20 *regem Cypri publicasses* (cf. Sest. 57), prov. c. 13 *publicanorum ruinas,* l. a. I, 11 *reges exhauriunt,* Cael. 3 *obiectus est pater varie,* Flacc. 82 *ut tu ex sermone excideres,* Cluent. 86 *haerebit in tabulis reus,* Cat. I, 15 *petitiones corpore* (i. e. corporis declinatione) *effugi,* Cat. II, 10 *eructant caedem,* Planc. 30 *iacis adulteria* etc. Dem. XLV, 59 *κακῶν ἀλλοτρίων κλέπτης,* XIX, 170 *ἐπειχθέντες – προσδοκωμένων,* IV, 25 *γέλως ἐστίν,* XV, 14 *ὅπως καταλύσωσι τὸν δῆμον,* IX, 28 *διορωρύγμεθα,* XVIII, 136 *παλλῷ ῥέοντι;* sed haec omnia sunt maxime vulgaria; etiam id satis frequens est ap. Cic., cum pro frontis contractione vel remissione vel pro fronte ad severitatem implicata etc. frons simpliciter dicitur, ut Cic. p. r. s. 16: *frontis tibi integimento ad occultanda tanta flagitia uti non liceret;* similiter ib. 15 *rugis supercilioque,* et Pis. 51 os; cf. ib. 1; 53; Sest. 19; Rosc. A. 87; 95. Nec minus pervagatum est id, cum nomina virtutum vel vitiorum pro singulis factis ponuntur, quae ex illis causis manare videntur, ut Rab. P. 24 *stultitia,* Mur. 14 *avaritia* etc. cf. Naegelsb. § 13. p. 45; magis etiam vulgaria sunt talia: V. I, 2 *infamiae succurrerem* (cf. prov. c. 23; 32), Rosc. A. 6 *pecuniae obstare;* cf. Dem. XV, 3. Idem esse censeo, cum quis ea, quae per alios facienda curat, ipse facere dicitur, ut V. 5, 177 *condemnari;* Dem. XIX, 179

ἀποκτεῖναι. Etiam haec huc pertinere videntur: Cic. V. 3, 45 *litterae exaraverunt;* Mil. 56 Mars *saepe spoliantem perculit ab abiecto;* Dem. XIX, 275 *τὴν αὐτὴν εἰρήνην ἑωρακότες τὰ μὲν τῶν συμμάχων τείχη καθῃρηκυῖαν, τὰς δὲ τῶν πρέσβεων οἰκίας οἰκοδομοῦσαν κτά.* Luculentum huius rei exemplum invenitur in Hor. carm. 4, 2, 7: *Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore*, quod idem in metaphoram cadit; et Cic. Ph. XI, 27 *Brutus et Cassius multis iam in rebus ipse sibi senatus fuit.*

Sequitur, ut eam huius rei formam explicem, qua usurpatur id, quod continet, pro eo, quod continetur; Beda quidem, l. c. affert Gen. 24, 20 *effundens hydriam*; addo Eur. Bacch. 521 *Ἀχελῷον φέρειν*, Hor. carm. 4, 15, 21 *non, qui profundum Danubium bibunt, edicta rumpent Julia*, Verg. Georg. 4, 32 *inriguumque bibant violaria fontem*, Cic. Cluent. 168 *epoto poculo*, V. 3, 62 *pocula poscebat*, qui tamen locus etiam vi propria accipi potest; V. 4, 7 *tot domus locupletissimas istius domus una capiet*; Sest. 19 *incedebat — capillo ita horrido, ut Capua — Seplasiam sublaturus videretur*, cf. ib. 18 *puteali*; V. 5, 96 *influat portus* (cf. ib. 4, 117), prov. c. 11 *angustiis aerarii*, V. 5, 127 *Athenas, Pergamum, Miletum, totamque Asiam, Graeciam, Siciliam in paucis villis inclusas esse* etc.

Adde, quod nihil usitatius est, quam ut locus nominetur pro hominibus, qui ibi versantur, aut pro rebus, quae ibi vel geruntur vel gestae sunt: V. 5, 154 *adsunt Puteoli*; similiter Pis. 34 *Italia*, V. 4, 17 *Messana*, Font. 44 *Macedonia*, V. 1, 27 *Asia*, Planc. 22 *regio*, Caecil. 54 *provincia*, Cat. I, 10 *castra*, Pis. 32 *curiae taciturnitatem*, Sest. 128 *curia — forum — tribunalia* (cf. p. r. s. 6; Rosc. C. 17; Pis. 7), Pis. 3 *campi*; Dem. IX, 34 *Ἑλλάς*, XVIII, 18 *Πελοπόννησος*, IV, 45 *μέρος τι τῆς πόλεως* etc. Nec aliter Cael. 35 *Baias, actas* dicitur pro luxuria, quae ibi expromitur; cf. V. 5, 94; Ph. II, 37 *castra mihi obiecisti* (i. e. dicta et facetias, quibus Cic. in Pompeii castris usus esse ferebatur) Mur. 30 *cedat forum castris*, ib. 40 *habuimus scaenam competitricem*, ib. 11 *obiecta Asia*, Ph. VI, 15 *Janus medius*, Pis 13 *cum taeterrimam nobis popinam inhalasses*, Marc. 28 *Obstupescent posteri — Rhenum, Oceanum, Nilum — audientes.* Eodem modo dicit Aesch. Pers. 475 *οὓς Μαραθὼν ἀπώλεσεν.*

Similiter adhiberi videtur Cic. Cael. 48 *abhorret ab huius saeculi licentia* (cf. Ph. IX, 13), Cluent. 94 *tempus* (cf. Rosc. A. 1; Ph. I, 5), Sest. 19 *supercilio annus niti videretur* etc. (cf. V. 2, 8; p. r. s. 3; V. 3, 104), Ph. III, 12 *foedo die.* Ita quoque accipi posse videtur Caecil. 28 *praetura et quaestura consignata.* Singularem quandem huius g. formam, si quidem huc trahi licet, exhibet Soph. Ai. 41 *χόλῳ βαρυνθεὶς τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων·* Similiter Cic. Pis. 24 *nomen — consulis — non capiunt angustiae pectoris tui*, Ph. III, 16 *stuporem cordis*, Dem. XVIII, 296 *τῇ γαστρὶ μετροῦντες τὴν εὐδαιμονίαν.*

Sed quoniam ex eo genere, quo causae ratio pro re effecta adhibetur, satis multa rei illustrandae causa exempla attulisse mihi videor, pergamus iam ad ea, quae saepius etiam occurrere arbitror, cum in causae locum id, quod inde profectum est, successit. Huc spectat illud Homeri (μ, 173) *λεύκαινον ὕδωρ·* simile est Dem. IX, 14 *τοὺς λόγους ἀφείλοιτο*, XIX, 84 *ἀσφάλειαν τετειχισμένην*, Cic. V, 3, 183 scribarum *fidei pericula magistratuum committuntur*, Pis. 29 *triumphis devinxerat*, V. 5, 3 *cicatrices acceptas*, Ph. XII, 21 *spiritus*, Caecil. 33 *audiet;* etiam cum id, quod ex facto aliquo ad auctorem redundat ipsum, facto tribuitur, huc referendum censeo, id quod saepissime legitur, ut Caecil. 30 *furtum impudens*, Mil. 85 (aras) *substructionum insanis molibus oppresserat* etc. Maxime porro Cic. hoc genere dicendi delectatur: prov. c. 13 *et has duplices pestes sociorum, militum clades, publicanorum ruinas, provinciarum vastitates, imperii maculas teneretis?* Ph. XI, 10 *videtis, quos habeat A. Primum Lucium fratrem. Quam facem, quod facinus, quod scelus!* Sest. 93 *rei p. paene fata*, V. 5, 118 *carnifex praetoris, mors terrorque sociorum*, prov. c. 2 *rei p. funera*, V. 5, 129 *salutem* etc. Singalaria quaedam huius modi exempla sunt: Ph. XIV, 8 *L. Antonius, insigne odium omnium hominum vel, si etiam di oderunt quos oportet, deorum;* (cf. Vat. 39), Sest. 116 acroama.

Latissime vero eum usum patere arbitror, quo accidens pro substantia adhiberi videtur. Ac primum quidem signum vel nota alicuius rei quasi accidens aliquod accipi potest. Etiam signi ratione plura complecti in animo est, quam vulgo fieri video. Simplicissimum autem unius cuiusque rei signum certe est nomen eius. Itaque hic commemoranda videntur V. 4, 12 *nomina Verris aestimatione concidisse*; cf. Caecil. 8; Rosc. C. 4; Pis. 24. Rarioris autem notae sunt talia: Hor. carm. 1, 1, 29 *doctarum hederae praemia frontium;* ex quo etiam illum locum 3, 21, 18 huc referre velim: *addis cornua pauperi* et 3, 27, 63 *herile carpere pensum* et 1, 7, 7 *undique decerptam fronti praeponere olivam.* Ex eodem genere est Cic. Pis. 73, ubi quae sit ratio versus sui *cedant arma togae* cum aliqua irrisione Pisonem se docere fingit: *Quid nunc te, asine, doceam? non opus est verbis, sed fustibus. Non dixi hanc togam, qua sum amictus, nec arma scutum aut gladium unius imperatoris, sed, quia pacis est insigne et otii toga, contra autem arma tumultus atque belli, poetarum more locutus hoc intelligi volui, bellum ac tumultum paci atque otio concessurum;* cf. Marc. 14; V. 1, 73 *togati*; id. Cat. III, 23; Sest. 52; Ph. II, 13; 51; l. a. II, 94 *tunicatorum;* prov. c. 15 *mastrucatis latrunculis;* Font. 33 *sagatos braccatosque* (cf. Quintil. 1, 5, 8); Pomp. 26 *stipendiis confecti;* Rosc. A. 17 *palmarum*, id. ib. 84; 100; Ph. I, 36; V. 5, 39 *fasces ac secures*, cf. ib. 97; p. r. s. 7; dom. 24; Pis. 28; Pomp. 32; Pis. 61 *lauream*, id. ib. 74; Arch. 5 *praetextatus;* Ph. II, 103 *quis hastam istius venditionis vidit?* id. IV, 9;

l. a. I, 6; Mur. 30 *cedat stilus gladio;* Pis. 38 *gladiorum atque pilorum;* Sest. 50 *armorum;* cf. Vat. 23; prov. c. 33; Tull. 43; Lig. 18; Marc. 30 *armis et castris;* cf. Dei. 29; Planc. 61; V. 5, 33 *aera;* Planc. 19 *sellam curulem;* Ph. II, 75 *aras, focos, larem;* cf. Pis. 91; V. 1, 98; ib. 5, 104 *dextrae complexusque;* cf. Ph. XI, 5; Cluent. 111 *rem a subselliis ad rostra detulit;* cf. V. 3, 26; 1, 152 *sordibus;* Pis. 20 *cymbala — contaminatum spiritum;* cf. ib. 75; V. 3, 49 *cerviculam iactaturum;* Dem. XIX, 191 *τοὺς ἅλας παρέβαινον* et haud scio an huc referendum sit XIX, 213 *οὐδ' ἐγχεῖ ὕδωρ οὐδεὶς ἐμοὶ* etc.

Alia rursus quae intercedit accidenti cum substantia ratio in hisce deprehenditur: Dem. XIX, 24 *οἱ δ' ἀντιλέγοντες ὄχλος καὶ βασκανία ἐφαίνετο*, Cic. Ph. XIII, 3 *naufragia Caesaris amicorum, Barbas, Cassios* etc. cf. ib. XI, 36; Cat. I, 8 *inter falcarios* vicum significat, ubi habitant, V. 5, 170 *in conspectu legum* dicitur pro finibus, intra quos leges valent; Ph. V, 17 *telis stipatos* video esse 'armatis stipatos'. Similis ratio esse videtur talium: Ph. V, 20 *cum semel gladios scelere imbuisset* (cf. har. r. 35); Sest. 24 *statuebam sic boni nihil ab nugis exspectandum;* Arch. 11 *in beneficiis ad aerarium delatus est;* V. 5, 170 *in praetervectione;* Cat. II, 22 *de complexu eius ac sinu;* Pis. 41 *abdomini;* V. 5, 23 *inclusum supplicium* (cf. Sest. 22); Ph. XI, 1 *scelerata arma;* Mil. 42 *timida ambitio;* sic abstracta saepissime pro concretis adhibentur; atque omnino abstractorum ratio ex metonymia fluxisse videtur; itaque ea tantum rei illustrandae causa eligam, quae mihi praeter cetera excellere videntur. Ap. Cic. Quinct. 92 reperio: *ea res in discrimine versatur, utrum possitne se contra luxuriam ac licentiam parsimonia defendere* (cf. ib. 84; Rosc. A. 136); Cat. II, 5 *exercitum collectum ex agresti luxuria* (cf. ib. 11); Sest. 137 *aditus industriae ac virtuti pateret* (cf. Balb. 49; Mil. 101; Sest. 138); V. 5, 38 *provinciam ad summam stultitiam nequitiamque venisse;* l. a. II, 14 *non bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu;* har. r. 42 *germanitatis*, l. a. II, 97 *domicilium superbiae*, Marc. 17 *victoriae*, dom. 27 *par amicitiae consularis* (cf. Quinct. 93); Ph. II, 67 *nequitia*, V. I, 52 *auctoritates*, Cluent. 56 *consilia conscientiasque*, Sest. 109 *honestates*, Ph. VI, 12 *redeo ad amores deliciasque vestras, L. Antonium* etc.; luculentissimum vero huius g. exemplum exstat Cat. II, 25: *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido: denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, luxuria, ignavia, temeritate, cum vitiis omnibus; postremo copia cum egestate, bona ratio cum perdita, mens cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit;* cf. Dem. XX, 165 etc.

Quid porro magis est commune, quam ut aetas vel omnino tempus pro hominibus et rebus ponatur? Ut Sull. 52 *nox coniurationis acerrima* (cf. seq. paragr.), Arch. 4 *aetas informari solet*, Flacc. 6 *muta est huius temporis accusatio*, Ph. II, 90 *si illus diei mentem servare potuisses*, Rosc. C. 44 *mea adolescentia indiget illorum bona existimatione* etc. cf. Cat. II, 11; III, 26; V. I, 11; 1, 32 etc. Alio huius rei usu quaedam abstracta pro pluribus individuis, quae in illam rationem cadunt, ponuntur, ut iuventus pro iuvenibus, vicinitas pro vicinis etc. A. Cic. sic. tractatur coniuratio Cat. I, 6, legatio — legati V. 2, 114 etc. Simplicior huius g. forma est, cum abstracto ipsum concretum adiungitur, ut Cat. I, 26 *vigilare insidiantem somno maritorum*. Hoc nihil aliud esse videtur quam ea loquendi forma, quae a Quintil. (8, 6, 59)

Periphrasis

nominatur i. e. *quidquid significari brevius potest et cum ornatu latius ostenditur*. Idem non numquam necessitatem habere scribit, quotiens dictu deformia aperiat, interim ornatum solum petere; auctor libri *περὶ ὕψους* (ap. Sp. I, 277) eius vim pulchra similitudine adscita illustrat: *ὡς ἐν μουσικῇ διὰ τῶν παραφώνων καλουμένων ὁ κύριος φθόγγος ἡδίων ἀποτελεῖται, οὕτως ἡ π. πολλάκις συμφθέγγεται τῇ κυριολογίᾳ, καὶ εἰς κόσμον ἐπὶ πολὺ συνηχεῖ, καὶ μάλιστ᾽ ἂν μὴ ἔχῃ φυσῶδες τι καὶ ἄμουσον, ἀλλ᾽ ἡδέως κεκραμένον*. Gross. (25) metonymiae eam subiicit, Dzial. (23), cum inter verb. figg. tractet, ab eis removet [53]). Conficitur autem aut singulis verbis aut longiore expositione. Ac singulis quidem verbis constat saepe apud veteres poetas. Homerus habet: *βίη Ἡρακληείη, μένος Ἀλκινόοιο, ἱερὴ ἲς Τελεμάχοιο*, Aesch. Eum. 84 *μητρῷον δέμας*, Hor. carm. 1, 3, 36 *Herculeus labor*, sat. 2, 1, 72 *Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli*. Ex Dem. huc cum alia tum haec revocanda videntur: in Onet. 21 *ἀδελφῶν βίους ἐγχειρίζομεν*, Mid. 99 *ἠτίμωται τῇ ῥύμῃ τῆς ὀργῆς*, de cor. 249 *οὔτ᾽ ἀπόνοια Σωσικλέους οὔτε συκοφαντία Φιλοκράτους οὔτε Διώνδου μανία οὔτ᾽ ἀλλ᾽ οὐδὲν ἀπείρατον ἦν κατ᾽ ἐμοῦ*, III, 25 *κάλλη ἱερῶν*, cf. I, 10, VIII, 42, IX, 5, XXI, 96. Ciceroniana huius g. sunt: Ph. XII, 23 *Caesennii septemviralis auctoritas*, Cat. III, 16 *non mihi esse P. Lentuli somnum nec L. Crassi adipes nec C. Cethegi temeritatem pertimescendam*, Quinct. 91 *inopia*, Caecin. 13 *Aebutius — Caesenniae viduitate ac solitudine aleretur*, Sest. 83 *vitam-mortem* (cf. Mil. 79; 86; Ph. IX, 15), Cael. 38 *libidines* etc. Pluribus verbis illud saepe significatur a Vergilio, cum non simpliciter dicat

---

[53]) Cf. Kleutg. p. 97, Cornificii circuitionem 4, 32, 43, Kays. 299, Alex. ap. Sp. III, 32, Phoeb. 47, Tib. 75, Tryph. 197, Greg. 220, Coc. 238, Georg. 251, Donat. ap. K. IV, 400, Charis. ib. I, 274.

solis ortum vel occasum, sed pluribus quasi signis et notis persequatur, ut Aen. 2, 268 *tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris incipit et dono divom gratissima serpit*; cf. ib. Ecl. 1, 83. Et ap. Hor. carm. 2, 3, 15 legitur: *dum sororum fila trium patiuntur atra;* ex Cic. huc cadere videtur Ph. II, 41 *albus aterne fuerit ignoras*, et fortasse Mil. 56 *haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetiverunt*; quamquam et hoc exemplum et illud, quod Voss. V, 350 ex Milioniana (§ 29) affert, cum Cic. de industria caedis Clodii mentionem defugere videatur, melius significationi, de qua mox pluribus disputabitur, subiiciantur. His expositis dicendum erit de ea metonymiae forma, quae a Graecis

Antonomasia.

appellatur, quod nomen, cum nihil aliud sonet, quam dictionem per accidens proprium significantem[54]) facile desiderari poterat. A Cornif. (4, 31, 42) pronominatio dicitur; secundum Bedam (H. 613) *fit — ab animo, ut: numquid non tu percussisti superbum* (Isai. 51, 9)? *a corpore, ut: vir spurius altitudinis sex cubitorum et palmi;* (Sam. I, 17, 4)? *a genere ut: numquid omnibus vobis dabit filius Isai agrum* (Sam. I, 22, 7)? *a loco, ut: auctorem seditionis sectae Nazarenorum; ab actu, ut: qui autem tradidit illum, dedit eis signum* (Matth. 26, 48); *ab eventu, ut: discipulus ille, quem diligebat Jesus* (Joann. 19, 26). Dem. Mausolum V, 25 *τὸν Κᾶρα* dicit et VIII, 45 verbis *ἐν τῷ βαράθρῳ* Thraciam indicat. A Cic. Clodius dom. 18 *speculator communium miseriarum* appellatur, Pis. 28 *sororius adulter*, etc.; cf. Caecil. 23 *magnus ille defensor*, V. I, 6 *ille Achaicus inquisitor*, Mur. 60 *illo fortissimo viro senior magister*, Arch. 24 *noster hic Magnus*, Pis. 95 *ille auctor tuus provinciae*, l. a. III, 3 *legem a Valgii genero esse conscriptam.* Tota sententia sic adhibetur V. 1, 58 *qui se iudiciorum dominos dici volebant;* cf. Cat. III, 26; Pis. 11; 27; sed talia ipso nomine hinc excluduntur. Neque inveni ap. Cic. praeter haec quidquam aliud huius g., nisi forte quis omnia nomina contumeliosa, quibus in Clodium, Pisonem, Gabinium ceterasque rei pestes invehi solet, in quibus sane creber est, huc tracta vult. Etiam

Significatio,

quae plus in suspicione relinquit, quam positum est in oratione[55]), res sane multiplex et infinita, a Grossio (p. 37) metonymiae sive potius periphrasi subiungitur. Atque cum quidem in hoc quoque genere non

---

[54]) Charis. ap. K. I, 273; cf. Anon. ap. Sp. III, 213, Greg. 223, Coc. 234, Georg. 250. [55]) Cornif. 4, 53, 67.

numquam per accidentia quaedam tota res notetur, recte fecisse videtur; sed quia saepe fit, ut alia quoque ratione aliisque tropis vel figuris significatio conficiatur, non tota in hac ratione ponenda est. Quintil. (8, 3, 83) Graecos secutus emphasin appellat duasque eius formas distinguit, quarum altera plus quam dicit significat, altera etiam id, quod non dicit. Eiusd. ratiocinatio (8, 4, 15) huc spectat cum exemplo Cic. Ph. II, 63: *tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate.* Cic. de or. 3, 302 ita eam definit, ut sit *plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio* [56]); Cornif.[55]) per exuperationem, ambiguum, consequentiam, abscisionem, similitudinem fieri scribit; potuit alias quoque formas addere ut per translationem. Atque ea, quae significantur per exsuperationem iam in hyperbole tractavimus, ambiguum autem, cuius in Verrinis complura exempla de nomine Verris inveniuntur, et abscisio et similitudo aliis locis reservanda sunt. Suave huius rei exemplum deprehendi in Eur. Orest. 25 sq. *ἣ πόσιν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ᾽ ὑφάσματι ἔκτεινεν· ὧν δ᾽ ἕκατι, παρθένῳ λέγειν οὐ καλόν·* loco Homerico (λ, 523) *εἰς ἵππον κατεβαίνομεν* magnitudinem equi lignei significari scribit Tryph.[56]), quam eandem rationem Verg. Aen. 2, 263 his verbis declaravit: *demissum lapsi per funem*; simile est etiam eiusd. Aen. 3, 631 *iacuitque p e r antrum*; Gross. cum alia tum hoc ex August. de civit. D. 1, 22, 1 affert: *ad huius vitae suavia vincula rumpenda sola affuit animi magnitudo.* Ex Dem. Gerb.[56]) etiam affert LIV, 20: *εἱλκόμην καὶ ἐξεδυόμην καὶ ὑβριζόμην, καὶ ὑγιὴς ἐξελθὼν φοράδην ἦλθον οἴκαδε κτλ.* praeterea inde huc haec spectare videntur: XVIII, 261 *ὁπωσδήποτε* (cf. ib. 146), ib. 129 *μηθημερινοῖς γάμοις*, XXXVI, 42 *ὑβρίζοντα καὶ εἰς ὅπερ εἴωθεν ἀναλίσκοντα*, quod paulo post § 45 clarius effertur, XXIII, 213 *πατὴρ δ᾽ οὐκ ἐρῶ τίς ἢ πόθεν*, XXI, 79 *ἐφθέγγοντο αἰσχρὰ καὶ τοιαῦτα, οἷ᾽ ἂν ἄνθρωποι τοιοῦτοι φθέγξαιντο*, LIV, 17 *ἃ πολλὴν αἰσχύνην ἔχει καὶ λέγειν, μὴ ὅτι γε δὴ ποιεῖν* (cf. XXIII, 202), XLV, 3 *ὃν τρόπον δὲ οὐκ ἴσως καλὸν υἱεῖ περὶ μητρὸς ἀκριβῶς εἰπεῖν* (cf. ib. 27 et 84), XXI, 147 *λαβών γέ τι πλημμελοῦντα, ὅπερ οὐδ᾽ ὀνειδίζειν ἄξιον* (i. e. quod ne obiiciendi quidem causa proferre decet). His Ciceroniana respondent illa: Ph. II, 47 *sunt quaedam* (flagitia), *quae honeste non possum dicere*; Flacc. 51 *quem tu, quia tunc te nudus delectaverat, semper nudum esse voluisti*; p. r. s. 14 *non ianua receptis, sed pseudothyro intromissis voluptatibus*; Sest. 116 *qui omnia sororis embolia novit*, cf. Cael. 32 et 36. Optima ea exempla esse existimo, cum uno verbo tota significationis ratio conficitur, ut Flacc. 43 *cum rem publicam nimium a m p l e c t e r e t u r*, Sest. 8 *ita suum consulem o b s e r v a v i t, ut et illi quaestor bonus et nobis omnibus optimus*

---

[56]) cf. or. 139, Gerb. II_1, 236 sqq. Volkm. Rhet. 380, Monse (D) 39, Tryph. 199. Longe alius est g. Hermogenis ἔμφασις ap. Sp. II, 259, neque Tiberii (ib. III, 65) valde ratio habenda est, qui eam latioribus terminis circumscribit.

civis videretur, Caecil. 13 *nimium familiariter inimicitias exercere* (i. e. praevaricari); Halm. laudat Mil. 29 *fecerunt id servi Milionis nec imperante nec sciente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.*

Huc Gross. l. c. etiam ea exempla refert, cum qui dicit sua quasi persona deposita se unum ex eis esse fingit, qui audiunt et de se tertia persona utitur, ut Hom. *T*, 151 *ὥς κέ τις αὖτ' Ἀχιλῆα μετὰ πρώτοισιν ἴδηται*, Soph. Ai. 864 *τοῦθ' ὑμῖν Αἴας τοὔπος ὕστατον θροεῖ*, cf. Oed. Col. 109. Nec Dem. talibus plane caret, ut XVIII, 197 *Αἰσχίνης Δημοσθένους κατηγορεῖ*, cf. ib. 79, 303 et Cic. Lig. 6. Sed huius significationis ratio et vis tam esse subtilis videtur, ut verbis non satis valeam ad eam describendam. Forsitan in eo posita sit, quod hic orator non suam rem agere videtur, sed communem omnium reddit. Loco illo Sophocleo (Ai. 864) nomen Aiacis ea certe mente ponitur, quo magis nobilitas eius appareat. Minor est huius rei audacia in praeoccupatione, ut Dem. XIX, 80. Sed de significatione hactenus; maiorem etiam

Euphemismus

dubitationem habet, quem Gross. l. c. item huc revocat, quo ominosam aliquam vocem vel alioquin molestam molliore vel iucundiore aliqua dictione substituta supterfugiamus. Volkm. Rhet. 370 affert Eustath. ad. Hom. *α*, 121: *ἔστι τὸ σχῆμα εὐφημισμὸς, ἀγαθῇ κλήσει περιστέλλων τὸ φαῦλον, ὥσπερ καὶ τὰς Ἐρινῦς Εὐμενίδας διὰ τὸ εὔφημον κατωνόμαζον* [57]). Saepissime occurrit hoc genus loquendi in mortis mentione faciunda ad hanc ipsam vocem evitandam: Eur. Phoen. 758 *ἐάν τι τῆς τύχης ἐγὼ σφαλῶ*, Soph. Oed. r. 961 *σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή*, H. *Λ*, 241 *κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον*, *Γ*, 278 *ὑπένερθε καμόντας*, Paul. Corinth. I, 15, 20 *οἱ κοιμώμενοι*. Cic. similiter dicit atque Eur. Ph. I, 10 *si quid mihi humanitus accidisset*; Dem. IV, 12 *εἴ τι πάθοι*. Praeterea ex Dem. huc asciri possunt: XVIII, 168 *εἴ τι γένοιτο*, V, 22 *ἐγὼ δὲ τούτοις μὲν ἐρρῶσθαι λέγω* (cf. XVIII, 152; XIX, 248; XXI, 39), et quod Volkm. citat XX, 115 et XVIII, 176 *εἴ τι δύσκολον πέπρακται Θηβαίοις πρὸς ἡμᾶς*. Etiam haec sunt huius g.: Pontus Euxinus, *κέρας εὐώνυμον*, *εὐφρόνη* pro nocte, Beneventum etc. Sed iam vereor, ne in hoc toto genere metonymiae nimius videar; quare transeamus ad eam partem, quae a Graecis

---

[57]) cf. Hermog. ap. Sp. 256, qui eum ad res turpes honeste proferendas assumi scribit adhibito exemplo H. λ. 245.

Metaphora[58],

a Latinis translatio dici solet. In ea tractanda aliquanto plus negotii exoritur; neque enim modo pulcherrimus[59] est tropus sed etiam longe frequentissimus[60]. *Transferter ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est*[61] vel, ut Charisii[62] definitione utar, *metaphora est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem.* Sumuntur autem translationes *aut quia necesse est, aut quia significantius est aut quia decentius*[63]; et *ingenii specimen est quoddam transilire ante pedes posita et alia longe repetita sumere; vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione neque tamen aberrat, quae maxima est delectatio; vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur; vel quod omnis translatio, quae quidem sumpta ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus*[64]. Praeterea alii aliter translationum vim et causas describunt: Demetrio[65] quidem hoc videtur: *μάλιστα καὶ ἡδονὴν συμβάλλονται τοῖς λόγοις καὶ μέγεθος*, Aristoteli[66] *τὸ σαφὲς καὶ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ ξενικὸν ἔχει μάλιστα ἡ μ.* rursus Demetrio[67]: *ἔνια σαφέστερον ἐν ταῖς μεταφοραῖς λέγεται καὶ κυριώτερον, ἤπερ ἐν αὐτοῖς τοῖς κυρίοις, ὡς τὸ ἔφριξεν δὲ μάχη*[68]. Est igitur translatio quasi vitrum, per quod cernuntur res maiores quam sunt. Non numquam etiam brevitatem translatione confici scribit Cic.[69], ut illud

---

[58]) In hoc loco tractando praeter ea quae iam supra indicavi subsidia usus sum M. Muelleri libro, qui inscribitur „Vorlesungen über die Wissenschaft der Sprache" (vol. II. pagg. 365—416), libro Brinkmanni „die Metaphern, Studien über den Geist der modernen Sprachen", vol. I. „die Thierbilder der Sprache" (Bonn 1878), Mützellii commentatione de translationum, quae vocantur, apud Curtium usu (Berol. 1842), Hensei tribus commentationibus de eis translationibus, quibus, quae hominis propria sunt, aliis rebus tribuuntur (Parchim 1864, Halle 1868, Schwerin 1877). [59]) Quintiliani (8, 6, 4) de ea re haec sunt verba: *est — ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara proprio tamen lumine eluceat. neque enim vulgaris esse neque humilis neque insuavis apte ac recte modo ascita potest*; Cic. de or. 3, 166: *Modus nullus est florentior in singulis verbis nec qui plus luminis afferat orationi*; eiusd. ib. 170: *translatum maxime tamquam stellis quibustam notat et illuminat orationem.* [60]) Quintil. habet: *ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequentur utantur*; Demetr. π. ἑρμ. (ap. Sp. III, 282); ἡ συνήθεια καὶ μάλιστα τῶν μεταφορῶν διδάσκαλος· μικρὸν γὰρ σχεδὸν πάντα μεταφέρουσα λανθάνει διὰ τὸ ἀσφαλῶς μεταφέρειν. [61]) Quintil. l. c. [62]) ap. Keil. I, 272; cf. Tryph. ap. Sp. III, 192 sq. ib. Anon. 208, Greg. 216, Coc. 232, Georg. 245, Cornif. 4, 34, 45 etc. [63]) Quintil. l. c. [64]) Cic. de or. 3, 160; idem habet or. 134: *ex omni genere frequentissimae translationes erunt, quod eae propter similitudinem transferunt animos et referunt huc et illuc; qui motus cogitationis celeriter agitatus per se ipse delectat*; cf. etiam Cornif. l. c. [65]) ap. Sp. III, p. 280. [66]) Rhet. ap. Sp. I, 124. [67]) ib. 281. [68]) Hom. N, 339. [69]) de or. 3, 158.

Si telum manu fugit. Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato.

De necessaria autem metaphora paulo altius explicatio repetenda videtur. Ac primum dicendum est, hanc necessitatem translationis gradus quosdam habere; neque enim idem est, si dicas, vites gemmare, luxuriem esse in herbis, ac si substantia corpore carens spiritus appellatur; nam illic, si voluntas tulisset et consuetudo, res propriis verbis definiri potuit, hic nullo pacto potuit. Deinde cuivis vel leviter attendenti facile apparet, hanc necessariam metaphoram, cum aut proprium verbum deest, quia loquendi consuetudo nullum produxit, aut omnino esse non potest, latissime patere, ac ne digitum quidem, ut ita dicam, in dicendo vel loquendo progredi possumus, nisi compluribus translationibus adhibitis. Nec mirum, cum omnis ratio transferendi ex collatione et comparatione proficiscatur, qua omnis nostra cognitio et scientia maxime nititur. Hinc saepe factum esse putandum est, ut, cum res nova nominanda erat, quae verbo proprio indicari posset, tamen nomen suum non ex propria vi sua, sed ex aliqua re simili sortiretur. Jam vero rerum, quarum nullum subest corpus, sive rationes quaedam corporum et condiciones sunt, sive substantiae, quae cerni tangique non possunt, nec cognitio est neque oratio et declaratio nisi per hanc rationem collationis. Nam haec est natura intelligentiae nostrae, non modo ut omnis cognoscendi ratio nostra a sensibus incipiat, sed ut omnia, quae scientia comprehendere possumus, ut scholastica dictione utar, sub ratione corporis cognoscamus. Neque tamen hoc in eam partem acceptum velim, quasi homo omnino nihil cognitione assequatur, quod non sub sensus cadat — nam verba illa Apostoli[70]) *Invisibilia enim ipsius* (Dei), *a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* verissima sunt neque ei audiendi, qui hoc firmissimum non modo religionis sed etiam communis rationis intelligendi praesidium impugnare et deiicere conantur aut iam deiectum putant; horum insanae sapientiae atque delirae non est quod invideas — verum earum substantiarum, quae non sensibus percipiuntur, non plenam aut perfectam capere intelligentiam possumus, sed eam tantum, ut per ea, quae efficiunt, illas esse coniectura assequamur, ex eisque ipsis, quae per eas fieri vel facta esse cognovimus, quid et quales sint, aliqua ex parte colligamus. Idem saepe in rebus naturalibus usu venire videmus, quas quamquam non penitus perspectas habemus tamen esse et exstare sentimus. Quin etiam non numquam tales res ad usum nostrum accommodamus, ut vim electricam. Harum igitur omnium rerum corpore carentium natura fert ut nulla propria vocabula esse possint. Primum Lockium hanc rationem et invenisse et demonstrasse docet M. Mueller[71]). Sed harum propter necessitatem ascitarum translationum tum demum

---

[70]) Paul. ad Rom. 1, 20. [71]) vol. II, 369.

ratio habenda erit, cum pro usitata dicendi forma i. e. pro communi huius rei translatione ea assumetur, quae illas res incorporeas etiam vehementius, quam vulgo fit, in corporis rationem et cogitationem trahere videtur. Nam ut hic sic etiam in aliis rebus homines *in suorum verborum maxima copia tamen aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant*[72]). Hic igitur ea tantum, quae delectationis causa et suavitatis usurpantur et maiorem quandam audaciam prae se ferunt, tractabuntur, ea contra omnia, quorum translationis vis nisi acrius attendenti non apparet, quae Brinkmannus[73]) Gottschallium secutus voce Latina Germanice formata „incarnierte“ appellat atque ea, in quibus haec ratio nisi diligenti verbi cuiusque investigatione et a primordiis linguae rem repetente erui non potest, quae idem Muellero auctore „radicale“ nominat, hinc excludentur.

De tractandis autem translationibus et in oratione utendis varia praescribi solent; Aristoteles[74]) quidem haec dicit: *οὐ πόρρωθεν δεῖ ἀλλ᾽ ἐκ τῶν συγγενῶν καὶ τῶν ὁμοειδῶν μεταφέρειν — καὶ ἀπὸ καλῶν — ἢ τῇ φωνῇ ἢ τῇ δυνάμει ἢ τῇ ὄψει ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει· εἰσὶν ἀπρεπεῖς μεταφοραὶ αἱ μὲν διὰ τὸ γελοῖον — αἱ δὲ διὰ τὸ σεμνὸν ἄγαν καὶ τραγικόν.* Etiam Cic.[75]) praecipit: *quoniam haec vel summa laus est in verbis transferendis, ut sensum feriat id, quod translatum sit, fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quos eorum animos, qui audient, trahet similitudo.* Id. ib.: *Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset illud proprium ac suum*; et *verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irrupisse, atque ut precario, non vi, venisse videatur*[76]). Eae porro meliores esse dicuntur, quae a visu sumuntur, quam a reliquis sensibus; *facilius enim ad ea quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur*[77]) Neque tamen ap. Cic. non multae translationes ab aliis quoque sensibus ductae reperiuntur. Quasi praeteriens hic rarum quoddam genus metaphorae commemorare velim, cum tamquam sensus inter se commutari videntur, ut Soph. Ai. 870 *ἰδού, δοῦπον αὖ κλύω τινά*, Phil. 202 *προὔφάνη κτύπος*, Oed. r. 186 *παιὰν δὲ λάμπει·* etiam Horatii illud (carm. 2, 13, 32) *bibit aure volgus* simile quiddam est. Huc Ciceronis illud spectat (l. a. I, 24) *vox consulis in tantis tenebris illuxerit.* Illud autem commune quod est praeceptum de perpetua translatione perpetuum non est[78]). Sed hic duo distinguenda sunt, unum, cum verba translata sumpta simpliciter inter se copulantur neque alterum ab altero lege grammatia dependet, alterum, cum talis inter ea subiectionis ratio intercedit. Atque in simplici plurium translationum coniunctione saepissime ex diversis

---

[72]) Cic. de or. 3, 159. [73]) in libro supra citato p. 41; cf. Gottsch. Poet. p. 179. [74]) Rhet. ap. Sp. I, 125 sqq. [75]) de or. 3, 163. [76]) Quint. 8, 6, 18 dicit: *m. aut vacantem locum occupare debet aut, si in alienum venit, plus valere eo, quod expellet.* [77]) Cic. de or. 3, 163. [78]) Voss. IV, 108.

regionibus ductae conferuntur [79]). Luculentum huius m. locum citat Schleiniger [80]) ex Chrysostomo, ubi de Eutropii rerum ruina agit: Νὺξ ἦν πάντα ἐκεῖνα καὶ ὄναρ, καὶ ἡμέρας γενομένης ἠφανίσθη· ἄνθη ἦν ἐαρινά, καὶ παρελθόντος τοῦ ἔαρος ἅπαντα κατεμαράνθη· σκιὰ ἦν, καὶ παρέδραμε· καπνὸς ἦν, καὶ διελύθη· πομφόλυγες ἦσαν, καὶ διεῤῥάγησαν· ἀράχνη ἦν καὶ διεσπάσθη. Ap. Dem. unum maius huius g. exemplum deprehendi de cor. 296: ἄνθρωποι μιαροὶ καὶ ἀλάστορες, ἠκρωτηριασμένοι τὰς ἑαυτῶν πατρίδας, τὴν ἐλευθερίαν προπεπωκότες πρότερον μὲν Φιλίππῳ νῦν δὲ Ἀλεξάνδρῳ, τῇ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν, τὴν δ᾽ ἐλευθερίαν καὶ τὸ μηδένα ἔχειν δεσπότην αὐτῶν, ἃ τοῖς προτέροις Ἕλλησιν ὅροι τῶν ἀγαθῶν ἦσαν καὶ κανόνες, ἀνατετροφότες. Ex Cic. vero orationibus cum talium maxima turba opponi possit, tantum modo haec hic ponam: Cluent. 146 *Hoc vinculum est huius dignitatis, qua fruimur in re p., hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis*; V. 5, 126 *Hic locus est unus, quo perfugiant, hic portus, haec arx, haec ara sociorum*; cf. ib. 121; 4, 130; Mur. 49; har. r. 48; Vat. 17 etc. Talia praecipue animum iratum vel alioquin concitatum decent ob eamque causam etiam a tragoediarum auctoribus in eis locis tractantur, qui in magna contentione et vehementissimis animorum motibus versantur.

Aliter autem res se habet in eis locis, ubi verba inter se lege quadam constructionis ita cohaerent, ut alterum alteri subiiciatur. In talibus Dem. summa quasi religione perpetuitatem translationis servare solet atque etiam in eis dictionibus, quae multo usu iam omnem transferendi tamquam florem amisisse videntur, ut III, 28 ἐχθρὸν δ᾽ ἐφ᾽ ἡμᾶς αὐτοὺς τηλικοῦτον ἠσκήκαμεν. ἢ φρασάτω τις ἐμοὶ παρελθών, πόθεν ἄλλοθεν ἰσχυρὸς γέγονεν ἢ παρ᾽ ἡμῶν αὐτῶν Φ. IV, 41 ταῦτα πρότερον μὲν ἐνῆν· νῦν δ᾽ ἐπ᾽ αὐτὴν ἥκει τὴν ἀκμήν, ὥστ᾽ οὐκέτ᾽ ἐγχωρεῖ· ib. 42 ἐπιχειρῶν — ὀρεγόμενος, II, 8 ὥσπερ διὰ τούτων ἤρθη μέγας — οὕτως ὀφείλει διὰ τῶν αὐτῶν τούτων καὶ καθαιρεθῆναι πάλιν· cf. ib. 5, 20, VIII, 8, IX, 24, I, 10, V, 19, VI, 5, 34. Etiam Cic. hanc legem servat, ut Cat. II, 2 *quod stantem urbem reliquit, quanto tandem illum maerore esse afflictum et profligatum putatis? Jacet ille nunc prostratus, et se perculsum atque abiectum esse sentit*; cf. ib. III, 26 etc. Neque tamen semper in hac re tam religiosns est, ut de or. 3, 103 *Ita sit nobis ornatus et suavis orator, ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam — primum silva rerum comparanda est, — haec formanda filo ipso orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis*; ib. 2, 162 *si quem plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas atque omnia minima*

---

[79]) cf. Naegelsb. Stilist. p. 401. [80]) in libro, qui „Grundzüge der Beredsamkeit“ (Herder 1859) inscribitur, p. 147.

mansa ut nutrices infantibus pueris in os inserant etc.; Rosc. A. 74 *nonne his vestigiis ad caput maleficii perveniri solet?* prov. c. 31 *nationes, quae hominum multitudine ipsa poterant in provincias redundare, ita esse partim recisas, partim repressas.* Sed cum in his omnibus aliqua excusari possint cumque talia tum demum adhibeantur, cum unius verbi translatio paene omnem huius tropi vim crebro usu perdidit, ut caput multis iam locis idem valere videtur quod fons vel sedes vel simile aliquid, in universum hoc praecipiendum esse videtur, ut in verbis, quae inter se alterum ex altero pendent, translationis ratio servanda sit. Ab omnibus porro technographis praescribitur, ne longe sit simile ductum, ne longius trahantur sive continuentur translationes eaedem, ne in allegorias et aenigmata exeat oratio.

Addendum etiam videtur, quod Fortunatianus[81]) dicit: *si quando audentius verbum aliquod transferemus, ne omnino praeceps abruptumque videatur, aliquo verecundiore adminiculo fulciemus.* Talia autem audaciae remedia esse dicuntur dictiones 'paene, quodam modo, prope dixerim, ausim dicere'[82]), adde 'videri'. Verum haec adminicula non modo in eam partem valent, ut durior aliqua metaphora molliatur, sed etiam eam habent vim, ut si cui verbo, cuius paene omnis iam translationis venustas crebro usu delibata esse videtur, apponuntur, haec quasi reviviscat; ut in Cic. Ph. X, 4 *cur eos, quos paene venerari debemus, solus oppugnas* addito verbo 'paene' admonetur, hoc 'venerari' proprie de deis usurpari, etiam in Cluent. 63 *vestra expectatio mihi obloqui videtur* voce 'videtur' transferendi ratio in verbo 'obloqui' magis exprimitur et illustratur. Omnis vero metaphorae audacia compensatur, aut si comparatio praecedit aut si id verbum, quod translate adhibetur, primum proprie dicitur, deinde cum ratione oppositionis transfertur, ut ap. Dem. XIX, 289 περιερχόμεθα ὠτακουστιοῦντες — ποῖ πάρεισι Φ., ζῇ ἢ τέθνηκεν. ἐγὼ δὲ οὐ δέδοικα εἰ Φ. ζῇ, ἀλλ' εἰ τῆς πόλεως τέθνηκε τὸ τοὺς ἀδικοῦντας μισεῖν καὶ τιμωρεῖσθαι cf. IX, 17 μηχάνημα, XVIII, 299 τειχίζειν, in Pantaenet. 34 τὸ γιγνώσκειν ἐξαλεῖψαι. Cic. har. r. 25 *examen apium — examina servorum*, Cael. 34 *amorum foedera ferires.* Comparatione autem ap. Cic. translationis audacia saepe mollitur: Mur. 35 *Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum? Dies intermissus aut nox interposita saepe perturbat omnia, et totam opinionem parva non numquam commutat aura rumoris:* Pis. 19 *quaerebam consulem — qui tamquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus*; cf. Cael. 76; Mur. 4; 36; Planc. 15; Ph. II, 55; 115; VIII, 15; XIII, 20; Rosc. C. 17; Cluent. 138; Vat. 4; dom. 4; V. 5, 2 etc. Dixi de

---

[81]) ap. H. 124. [82]) Etiam Cic. dicit de or. 3, 165 *si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollieuda est praeposito saepe verbo.*

translationis vi universa, de eius tractatione et usu, de modis audaciores molliendi: sequitur dividendi ratio, quae plurimum habet difficultatis; etsi enim multas vias distinguendi possumus ingredi, tamen nulla ita est plana aut commoda, ut eo, quo tendas, sine errore vel offensione pervenire possis.

Vossius[83]) Aristotelem secutus duas ponit partes, quarum una in simplici similitudine, altera in proportione versatur. Similitudo autem et proportio hoc differunt, quod in illa duae res conferuntur, in hac bina binis respondent, ut si vesper senectus diei vel senectus vesper vitae dicatur. Sed talis proportionis forma, quae etiam commutari potest, solis poetis concessa videtur. Similis quaedam est ratio, si infima pars montis radix eius dicitur; sed converti res hic nequaquam potest, quia mons infimus proprio nomine caret. Talium in proportione translationum, quae inverti non possunt, et Cic. et Dem. praebet exempla neque tamen ita frequentia; longe maxima pars in simplici similitudine versari videtur. Gerber[84]) eam maxime probat divisionem, quae est apud incertum auctorem[85]) *τῶν μεταφορῶν αἱ μὲν ἀπὸ πράξεως εἰς πρᾶξιν μεταφέρονται, αἱ δ' ἀπὸ σώματος ἐπὶ σῶμα.* Atque huius exemplum suppeditat ex H. Ξ, 511 *Αἴας δὲ πρῶτος Τελαμώνιος ἕρκος Ἀχαιῶν*, illius autem esse scribit, cum pro verbo *βουλεύεσθαι* adhibetur *ὑφαίνειν*. In illam igitur formam maxima pars substantivorum translatorum, in hanc verborum cadere videtur. Aristot.[86]) etiam aliam translationum in genera distributionem habet: *ἐὰν κοσμεῖν βούλῃ, ἀπὸ τοῦ βελτίονος τῶν ἐν ταὐτῷ γένει φέρειν τὴν μεταφορὰν δεῖ, ἐὰν δὲ ψέγειν, ἀπὸ τῶν χειρόνων.* Gross. una ex parte rem ita dispertit, ut omnem omnium rerum multitudinem in duo genera dissecet, quorum unum omnes res, quae sensibus percipi possunt, complectatur, alterum ea, quae non sub sensus cadant; altera autem ex parte eandem omnium rerum vim dividat in ea, quae interno quodam motu vigere vel vivere dicantur et ea, quae tali vi carere videantur. His quattuor generibus inter se componendis sedecim species efficit, quarum quaedam rursus in particulas discerpuntur. Haec mihi divisio idcirco non probatur, quia multae res partim in rerum incorporearum rationem cadunt,

---

[83]) lib. IV, 85 sq. Aristot. in poet. (ed. Vahlen cp. 21 p. 49 sq.) simplicis similitudinis hoc affert exemplum: χαλκῷ ἀπὸ ψυχὴν ἀρύσας· proportionem autem, quam τὸ ἀνάλογον nominat, sic describit: τὸ δὲ ἀνάλογον λέγω, ὅταν ὁμοίως ἔχῃ τὸ δεύτερον πρὸς τὸ πρῶτον καὶ τὸ τέταρτον πρὸς τὸ τρίτον, ἐρεῖ γὰρ ἀντὶ τοῦ δευτέρου τὸ τέταρτον ἢ ἀντὶ τοῦ τετάρτου τὸ δεύτερον, καὶ ἐνίοτε προστίθησιν ἀνθ' οὗ λέγει πρὸς ὅ ἐστι. λέγω δὲ οἷον ὁμοίως ἔχει φιάλη πρὸς Διόνυσον καὶ ἀσπὶς πρὸς Ἄρη· ἐρεῖ τοίνυν τὴν φιάλην ἀσπίδα Διονύσου καὶ τὴν ἀσπίδα φιάλην Ἄρεως. ἢ τὸ γῆρας πρὸς βίον. καὶ ἑσπέρα πρὸς ἡμέραν· ἐρεῖ τοίνυν τὴν ἑσπέραν γῆρας ἡμέρας ἢ ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς καὶ τὸ γῆρας ἑσπέραν βίου ἢ δυσμὰς βίου· tum addit: ἐνίοις δ' οὐκ ἔστιν ὄνομα κείμενον τῶν ἀνάλογον, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον ὁμοίως λεχθήσεται· οἷον τὸ τὸν καρπὸν μὲν ἀφιέναι σπείρειν, τὸ δὲ τὴν φλόγα ἀπὸ τοῦ ἡλίου ἀνώνυμον· ἀλλ' ὁμοίως ἔχει τοῦτο πρὸς τὸν ἥλιον καὶ τὸ σπείρειν πρὸς τὸν καρπόν, διὸ εἴρηται· σπείρων θεόκτιστον φλόγα. [84]) vol. II_1, 88 sqq. [85]) ap. Sp. III, 228. [86]) Rhet. III, ap. Sp. I, 125.

partim in corporum, eae autem translationes, quae ad res incorporeas designandas necessario adhibentur, pro tropis non sunt habendae. Itaque ad tropi rationem nihil referre videtur, utrum res, cuius significandae causa translatio assumitur, sub sensus cadat necne. Alia rursus translationum divisio apud Muetzellium[87]) occurrit, qui servata antiquorum technographorum doctrina quattor illorum formas denuo distinguendo duodeviginti partes conficit. Etiam ex locis vel regionibus, unde metaphorae sumi solent, causa dividendi repeti potest; ut Voss.[88]) undecim quasi fontes translationum statuit. Sed haec res est infinita; translationem enim petere licet, undecumque aliquid simile duci potest, potest autem ex omnium rerum vi paene immensa — earum tamen electio ad intelligentiam communem eorum saltem revocanda est, apud quos dicas —. Ego veterum huius rei distributionem, qua translatio fit aut a rebus animatis ad animatas aut ab animatis ad inanimas aut ab inanimis ad animatas aut ab inanimis ad inanimas[89]), etsi et ipsa magnam affert difficultatem, retinendam esse existimavi, singulisque eorum generibus singulas quasi regiones sive sedes, ex quibus fluere translationes solent, accommodabo praemissis aliquibus de ea translationum ratione, quae in singulis et verborum generibus et enuntiationum sive sententiarum partibus versatur.

Atque cadit metaphorae ratio aut in substantivum aut in adiectivum aut in verbum aut in adverbium. Summa autem translationis vis et facultas sine dubio in verbis, quae proprie dicuntur, expromitur, magnam partem substantiva translata occupant, paululum spatii andiectiva et adverbia tenent, et quod pauca sunt et quod frequenti usu in plurimis exemplis iam omnem transferendi quasi colorem amisisse videntur. Atque si rem ad calculum referre volumus, ex earum translationum numero, quarum ego ap. Cic. rationem habendam esse duxi, haec fere mathematicorum formula eruitur: Verba : Substantiva: Adiectiva et Adverbia = 18:6:1. Ap. Dem. vero substantivorum methaphorae multitudine verborum translatorum paene obruuntur, ut vix iam appareant. In substantivorum porro translationibus saepissime haec ipsa cum genetivo attributivo translate coniunguntur, multa etiam in appositionis vel vocativi rationem cadunt, praedicativa quoque substantiva translata crebra sunt, raro autem invenitur huius g. genetivus vel ablativus qualitatis vel genetivus partitivus vel generis. Legitur autem V. 3, 28 *ista cohors quorum hominum est? horum canum, quos tribunal meum vides lambere*; ib. 1, 105 *qua est ipse sagacitate;* Vat. 9 *id est maximi momenti et ponderis.* Non numquam etiam fit, ut ex adiectivo apposito, quae sit substantivi translasionis ratio, intelligatur, ut Cluent. 130 *ventum popularem*, Flacc. 54 *Castricianum*

---

[87]) p. 20 sq. [88]) IV, 91 sqq. [89]) cf. Bed. ap. H. 611, Charis. K. I, 272, Donat. ib. IV, 399, Tryph. Sp. III, 192, Anon. ib. 208, Greg. 216, Coc. 232, Georg. 245 sq.

vulnus; har. r. 43 *popularis aura*. In verbis autem translatis ea exempla sunt creberrima, quorum translationis ratio ex obiecto perspicitur, saepissime etiam ad subiectum et adverbiale verbum translate ponitur, nec raro porro fit, ut verbum cum eo obiecto, quod per accusativum effertur, talem rationem habeat ad obiectum per dativum enuntiatum. Adiectivi autem translationis ratio natura fert ut plerumque ex substantivo suo nascatur, sive in attributi sive in praedicati loco versatur, non numquam tamen eius haec vis etiam ad obiectum vel adverbiale pertinet. Neque tamen semper quae sit metaphorae ratio ex verbis vicinis eiusdem sententiae apparet, sed saepe id ex toto orationis quasi contextu vel ex eis, quae praecedunt, intelligitur, ut Sest. 15 *intentus est arcus in me* etc.

Postremo id quoque notum esse puto, saepe in uno eodemque verbo duas translationis rationes concurrere; creberrime igitur verbum simul et obiecto et adverbiali translate adiungitur, ut Mur. 30 *ista nobis studia de manibus excutiuntur;* saepe verbi simul intercedit ratio translationis cum subiecto et obiecto, ut dom. 32 *vestra in me attente audiendo benignitas provexit orationem meam.* Substantivum quoque non numquam simul et ad subiectum et ad genetivum suum eandem habet vim, ut Mur. 33 *Cyzicenorum — urbem Asiae ianuam fore*, vel appositio et ad substantivum suum, cui est attributa, et ad genetivum, qui ex ipsa pendet, translate refertur, ut Balb. 34 *duo fulmina nostri imperii, Cn. et P. Scipiones.* Adde, quod adiectivum quoque interdum simul et ad substantivum suum et ad adverbiale vel obiectum, quod ex ipso pendet, translate adhibetur, ut V. 4, 38; 5, 121 etc. Sed haec hactenus.

Nunc ad ipsa Ciceronis et Dem. huius tropi exempla recensenda aggrediamur; qua in re quia rhetoricam tantum rationem explicandam suscepi, ea huc recipiam, quae orationi maiorem quendam ornatum conciliant. Neque tamen huc ea solum pertinere puto, quae in pictius quoddam et floridius dicendi genus cadere videntur, sed ea quoque, quae ad res acrius et vehementius sensibus subiiciendas assumuntur. Verum si Homerus in dictione illa *ἄγε μίμνετε* vim verbi *ἄγειν* non iam attendit, si Hermogenis [90]) sententia *τὸ καταρρεῖν* de floribus et frondibus iam verbum proprium est (*ἐπὶ γὰρ τῶν ἀνθέων τῶν μαραινομένων τὸ καταρρεῖν σχεδὸν κυρίως λέγεται*), si autem rursus Dem. tam. diligens est in translationis ratione servanda, non facile est eligere eas translationes, in quibus eam vim adhuc vigere et rei vehementius illuminandae causa adhibitam esse existimandum sit. Neque ego in hac ratione certos quosdam terminos statuere conabor, sed satis habebo ostendere, quem ad modum translationis vis a summa simplicitate paulatim per varios gradus ad maximam audaciam ascenderit. Atque

[90]) π. ἰδ. ap. Sp. II, 368; citatur Dem. II, 10 τὰ τοιαῦτα εἰς μὲν ἅπαξ καὶ βραχὺν χρόνον ἀντέχει, καὶ σφόδρα γε ἤνθησεν, τῷ χρόνῳ δὲ περὶ αὐτὰ καταρρεῖ.

rarioria exempla cuncta fere enumerare studebo; in frequentioribus satis erit, totum genus aliquot exemplis illustrare, neque tamen id praestare possum, me semper praestantissima quaeque elegisse, quod in magna copia saepe perdifficile est. Postremo pauca de eius translationis ratione praemonenda videntur, ubi de rebus incorporeis agetur. Etiam talia ad rhetoricam huius tropi rationem pertinent, si ab usitata dictione receditur; quamquam enim, si rem per se ipsam spectes, de iis notionibus, quae Graece verbis *θυμός*, *φρόνημα*, *ἐλπίς*, *νόμος*, *φρήν*. *βίος* etc. exprimuntur, propriis verbis agi non potest, nemo tamen negabit, in his translationis rationem inesse: Aesch. Prom. 380 *σφριγῶντα θυμόν*, Soph. Ant. 473 *τὰ σκλήρ᾽ ἄγαν φρονήματα* (cf. ib. Ai. 649), Aesch. Agam. 505 *πολλῶν ῥαγεισῶν ἐλπίδων*, Eur. Bacch. 289 *οἴκει — μὴ θύραζε τῶν νόμων*, ib. Med. 624 *ἀνοίξαντα κλῆδα φρενῶν*, Aesch. Agam. 1123 *βίου δύνοντος αὐγαί*, Eum. 933 *πληγαὶ βιότου* Hor. carm. 4, 5, 15 desideriis icta fidelibus patria. Talium igitur etiam in hoc libello ratio habenda erit. Praeterea etiam translationum maxime vulgarium vis saepe rursus quasi excitatur et revirescit, si pluribus verbis pertexuntur vel translationes minus pervulgatae cum eis consociantur; ut in verbo vestigium haec ratio saepe vix iam apparet; verum si cum hoc verba persequi, indagare, odorari, similia coniunguntur, etiam illius translationis vis magis eminet. Sed de re universa satis mihi multa verba fecisse videor: nunc explicemus primum eam partem, ubi animata pro aliis vel eiusd. vel alius g. adhibentur.

Huc spectare ea videntur exempla, cum quis id esse dicitur, cuius similia facta eius videntur esse, ut Cic. eos homines, qui omnia per vim contra leges agere consueverunt, qualem ex eius orationibus Clodium fuisse accepimus, gladiatores compellare solet, non quo ex aliquo ludo gladiatorio effugerint vel ludis gladiatoriis depugnarint, sed quia facta eorum huius g. videntur. ,Sed ipsum Cic. de hac re audiamus, qui Ph. VII, 17 dicit: *Gracchorum potentiam maiorem fuisse arbitramini. quam huius gladiatoris (L. Antonii) futura sit? quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius appellari solet. sed ut appellant ii. qui plane et Latine loquuntur. Myrmillo in Asia depugnavit — luculentam plagam accepit. ut declarat cicatrix.* Translatus huius nominis usus ap. Cic. frequens est, ut Rosc. A. 8 *sicarios atque gladiatores*; cf. ib. 17; Cat. II, 24 etc. Similiter usurpatur in or. p. r. s. 13 *latrone — archipirata*, Sest. 39 mihi res erat — cum — *stuprorum sacerdote, cum sicario, cum latrone* (cf. V. 5, 70; 114; dom. 24; Sest. 81; Pis. 11), Sest. 116 *ludius — actor et acroama* (cf. V. 4, 49); Cat. II, 23 Catilinae comites et socii pueri lepidi ac delicati appellantur, Vat. 4 Gellius nutricula seditiosorum, Mil. 55 Clodius mulier; cf. V. 2, 192. Praeterea sic adhibentur haec: Sest. 27 *praedo* (cf. prov. c. 11), Cluent. 72 *planus*, Cael. 36 *pusio*, Sest. 26 *lenonis*, V. 4, 126 *operarii*. Caecil. 47 *tironem* (cf. V. 2, 17), V. 2, 77 *signifer*, Sest. 133 *sagittario*, Pis. 11 *carnifex*, Vat. 15 *furcifer* (cf. Pis. 14),

Sest. 144 *deum ac parentem*, Pis. 91 *Poena et Furia* (furia sic saepissime deprehenditur, ap. Dem. huic de cor. 296 *ἀλάστορες* respondere videtur), dom. 47 *dialecticus* etc. Sed haec omnia tantum ex ratione similitudinis huc trahenda videntur, ex ea autem ratione, qua hic species pro genere ponitur, synecdochae sunt subiicienda.

Huc accedit ea pars, in qua irrationale pro rationali adhibetur; saepe enim faciunt oratores vehementes et acres, praesertim si concitati et commoti videri volunt, ut homines earum bestiarum nominibus appellent, quae aptae videntur ad eorum vitia repraesentanda. Velut Cic. in Sest. 54 dicit: *statim me perculso ad meum sanguinem hauriendum advolaverunt* (quasi vultures rapaces et ieiuni); Sull. 76 *beluae quaedam illae ex portentis immanes ac ferae, forma hominum indutae exstiterunt* (cf. prov. c. 15; Pis. fr. VI; 1; 8; Mil. 85; Ph. III, 28; VII, 27; VIII, 13); har. r. 5 *Quid hunc persequar, pecudem ac beluam, pabulo inimicorum meorum et glande corruptum?* cf. Pis. 19; 72; Ph. VIII, 9. Praeterea haec affero: Ph. IV, 12 *est vobis res cum taetra belua, quae quoniam in foveam incidit, obruatur;* Ph. XIII, 5 *Ili in oculis haerebunt et, cum licebit, in faucibus: quibus enim saeptis tam immanes beluas continebimus?* Cat. II, 2 *urbem — e suis faucibus ereptam esse luget* (cf. Mur. 79; dom. 132); Sest. 16 *beluam, vinctam auspiciis, alligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum catenis, solvit* (cf. Mil. 40; Ph. VII, 27); V. 5, 150 sq. *nunc tibi ullum perfugium putem, cum te implicatum severitate iudicum, circumretitum frequentia populi R. esse videam? Si — ex his te laqueis exueris ac te aliqua ratione explicaris, in illas tibi maiores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me superiore ex loco confici et concidi necesse est* (cf. V. 2, 105 sq.); Pis. 83 *An vero tu parum putas investigatas esse a nobis labes imperii tui? quas quidem non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis et cubilibus persecuti sumus;* cf. V. 4, 53; 1, 12 sq. 2, 102; Cael. 71; har. r. 7; p. r. p. 11; Sest. 88. Etiam a Dem. homines *θηρία* appellantur, ut XXIV, 143; in Phorm. 52; praeterea inde revocanda sunt huc IV, 9 *κύκλῳ ἡμᾶς περιστοιχίζεται*, VI, 27 *ἐπιβουλεύεσθε—περιστοιχίζεσθε*, III, 31 *ὑμᾶς ἐπάγουσι καὶ τιθασεύουσι—χειροήθεις*, XVIII, 45 *σχολῇ δελεαζομένων*, ib. 162 *ὦ κίναδος* etc. Ap. Cic. saepe de canibus sumuntur translationes, ut V. 4, 40 *Apponit de suis canibus quendam*, ib. 31 *canes venaticos diceres — ita odorabantur omnia et pervestigabant* (cf. ib. 2, 135; p. r. s. 15; Cluent. 82); V. 4, 47 *immittebantur Cybaritici canes, qui investigabant et perscrutabantur omnia. Si quod erat grande vas, laeti afferebant: si minus eius modi quidpiam venari poterant, illa quidem certe pro lepusculis capiebantur, patellae, paterae, turibula* (cf. V. 5, 146; l. a. II, 65), Cat. I, 19 *sagacissimum*, Rosc. A. 57 *latratote.*

Apud tragicos poetas Graecos saepe inveniuntur translationes de iugo, frenis, similibus sumptae, ut Aesch. Agam. 1226 *δούλιον ζυγόν*,

Pers. 71 *ζυγὸν ἀμφιβαλὼν αὐχένι πόντου*, 139 *μονόζυξ*, 542 *ἀρτιζυγίαν*, Eur. Med. 636 *ἄζυγες*, Iph. A. 810 *γάμοισιν ἐζύγης*, Aesch. Agam. 217 *ἐπεὶ δ' ἀνάγκης ἔδυ λέπαδνον*, Soph. Ant. 291 *οὐδ' ὑπὸ ζυγῷ λόφον δικαίως εἶχον*, ib. Ai. 736 *νέας βουλὰς νέοισιν ἐγκαταζεύξας τρόποις* (cf. ib. 123), Aesch. Agam 1066 *χαλινὸν δ' οὐκ ἐπίσταται φέρειν*, Soph. El. 1462 *στόμια δέχηται τἀμά*, Aesch. Agam. 1624 *πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε*, cf. ib. Prom. 323. Ex Dem. huc pertinet VIII, 62 *Θετταλοὺς — ὑπηγάγετο εἰς τὴν — δουλείαν*, XX, 1 *ἐκδεδυκέναι λειτουργίας*· cf. XV, 19; Cic. etiam talibus abundat: Ph. XIII, 20 *Mutinam illi exultanti tamquam frenos furoris iniecit*; Mil. 77 *eius furores — quos nullis iudiciis frenare poteramus, hac dextra a cervicibus vestris reppuli*; Ph. I, 6 *urbe carebant ea, cuius a cervicibus iugum servile deiecerant*; Rosc. A. 30 *hanc condicionem misero ferunt, ut optet, utrum malit cervices Roscio dare, an — vitam amittere.* In talibus quidem dictionibus cogitatio supplicii per carnificem subesse potest; sed ego illud ipsum 'cervices carnifici dare' ductum esse puto a iugi similitudine. Praeterea huc referendum esse censeo Cat. III, 17 *molem mali a cervicibus depulissem*; cf. Sest. 89; Sull. 28; dom. 63; forsitan etiam locus ille V. 3, 135 *qui tantis erunt cervicibus* etc. huc revocandum sit. Eodem referre velim talia: Cael. 36 *calcitrat*, Ph. II, 86 *num exspectas, dum te stimulis fodiamus* (cf. Sest. 12; dom. 140; Planc. 69)? Pis. 69 *admissarius iste nihil expiscatus est: sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius hanc orationem adhinnivit* etc.

'Grex' hac ratione tam saepe adhibetur, ut paene omnem tropicam venustatem amisisse videatur; non numquam tamen contumeliam habere videtur, ut Rosc. A. 89 *forsitan propter multitudinem patronorum in grege adnumerer* etc. In Planc. 58 invenitur: *aculei si quos habuisti — mihi non ingrati acciderunt*; cf. Flacc. 41; har. r. 25. Frequentissime porro verbis volandi hominum celeres motus indicantur, cum autem quis per fraudem vel occulte aliquo pervenisse dicitur, a similitudine rependi translationes ducuntur. Ac verbum advolare tam saepe hoc modo usurpatur, ut paene omnem tropi vim amisisse videatur. In Ph. X, 11 reperitur: *volasse eum, non iter fecisse diceres*: Mur. 82 *ex istorum insidiis — evolem* etc. convolare sic tractatur Rab. P. 18; dom. 57; pervolare Rosc. A. 19; volucer Rosc. A. 102; Planc. 57; Sull. 91. Vis rependi occurrit his locis: Pis. 1 *obrepsiti ad honores*, V. 3, 158 *Apronius — adrepserat*; cf. Balb. 5; Sest. 126. Ap. Soph. (fr. 687 Dind.) invenimus *ἐλπὶς γὰρ ἡ βόσκουσα*; similiter dicitur Cluent. 72 *quaestu iudiciario pastus*; cf. Sest. 99; Pis. 45; Mil. 3. In Ph. VI, 17 legimus: *paucorum dierum molestiam devorate* (cf. V. 1, 135; dom. 60; Ph. II, 67; Sest. 23); et in Balb. 57 *in conviviis rodunt, in circulis vellicant — maledico dente carpunt*; har. r. 59 *quam* (poetae finxerunt) *tam eminentibus canibus Scyllam tamque ieiunis quam quibus istum videtis — rostra ipsa mandentem?* forsitan

etiam 'aures erigere' huc trahendum sit: V. 1, 28 *Quo tempore aures index erigeret animumque attenderet?* cf. Sull. 33. Ex Dem. supplendum est de cor. 242 *πίθηκος*; Ciceronis autem rariora sunt haec: har. r. 50 *in sinu atque in deliciis quidam — viperam illam venenatam — habere potuerunt;* Sest. 71 *duo vulturii paludati* (cf. Pis. 38); Sest. 72 *fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula rem p. conaretur arrodere* (cf. Halmii notam); cf. Ph. XIII, 27; Pis. 21 *animal*, ib. 19 *maiali*, 73 *asine*; atque omnino Pisoniana talibus abundat; in Flacc. 17 legitur: *multitudinem sagina tenebat.*

Venio nunc ad id translationis genus, quo verbum, quod proprie usurpatur de animalibus, ad res inanimas transfertur. De ea re Aristot.[91]) haec scribit: *κέχρηται Ὅμηρος πολλαχοῦ τῷ τὰ ἄψυχα ἔμψυχα λέγειν διὰ τῆς μεταφορᾶς. ἐν πᾶσι δὲ τῷ ἐνέργειαν ποιεῖν εὐδοκιμεῖ, οἷον ἐν τοῖσδε »αὖτις ἐπὶ δάπεδόνδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής«* (*λ*, 598), *καὶ »ἔπτατ' ὀϊστός«* (*N*, 588), *καὶ »αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο μαιμώωσα»* (*O*, 541). *ἐν πάσι γὰρ τούτοις διὰ τὸ ἔμψυχα εἶναι ἐνεργοῦντα φαίνεται. — κινούμενα καὶ ζῶντα ποιεῖ πάντα, ἡ δ' ἐνέργεια κίνησις*[92]). Quintil.[93]) quoque praecipue ex his oriri censet miram sublimitatem, quae audaci et proxime periculum translatione tollantur, cum rebus sensu carentibus actum quendam et animos demus. Huc maxime respiciunt Hensei illae tres commentationes iam supra adhibitae, quae sunt de eis translationibus, quibus de rebus inanimis ea praedicantur, quae hominum propria sunt. Atque haec ratio in omni lingua latissime patet; etiam genus grammaticum, quod dicitur, inde fluxisse putandum est. A poetis haec transferendi forma non modo saepissime summa audacia tractatur, sed non numquam etiam longius ducitur, ut a Soph. Oed. r. 872 *Ὕβρις* pluribus actionibus conformatur, ib. El. 1126 sqq. Electra urnam, quasi sensum et mentem habeat, verbis commotis alloquitur, in Eur. Herc. f. 1272 Hercules armis suis mentem et orationem tribuit, Phoen. 1343 sq. Oedipus in summa perturbatione ad domum suam haec verba convertit: *ὦ δῶματ' εἰσηκούσατ' Οἰδίπου τάδε·* ad quae caterva translatione servata respondet: *ὥστ' ἂν δακρῦσαι γ', εἰ φρονοῦντ' ἐτύγχανεν.* Hor. carm. 1, 4, 13 dicit: *Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres.* ib. 3, 2, 17 *Virtus repulsae nescia sordidae — nec sumit nec ponit secures arbitrio popularis aurae*; ib. 3, 1, 37 *Timor et Minae scandunt eodem, quo dominus, neque decedit aerata triremi et post equitem sedet atra Cura* (cf. ib. 2, 16, 21); ib. 3, 24, 5 *Si figit adamantinos summis verticibus dira Necessitas;* cf. ib. 3, 1,

---

[91]) Rhet. ap. Sp. I, 141. [92]) A Joanne Th. Ernesti in Lexico Technol. Graec. p. 107 ipsa haec transferendi species ἐνέργεια dicitur. [93]) 8, 6, 1.

14 sq. Ab Homero sic informantur *Φόβος*, *Δεῖμος*, *Ἀλκή*, *Ἔρις*, ab Aeschylo *Πειθώ*, *Τύχη*, *Πόθος*, *Ἁρμονία*, *Δίκη*; ab ipso Cic. V. 3, 131 Salus, id. Font. 21, dom. 116 Libertas, Ph. XII. 17 Pax, V. 1, 7 poenae etc. Saepe in simplicissimis exemplis mira insidet venustas, ut illo Aeschyli loco Prom. 89 *κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα*, cui respondet quadam ex parte illud Horatianum (carm 2, 6, 13) *Ille terrarum mihi praeter omnes angulus ridet.* Saepissime a Cic. de natura, fortuna, forte, sorte verba animalium propria adhibentur; natura dicitur abducere, abripere, defendere, largiri, dare, concedere, ferre, retinere, reclamitare, desiderare, hortari, velle, fingere, gignere, praescribere, fors offerre, adimere, Pis 3 domina campi etc. sors dare campum, in quo excurrere virtus cognoscique possit (Mur. 18), fortuna afferre, coniungere, deferre, adimere, eripere, conservare, velle, domina (Marc. 7). In Balb. 9 est: *summa fortuna cum summa virtute certavit;* cf. prov. c. 8; simile est Eur. Troad. 594 *κακῷ κακὸν γὰρ εἰς ἅμιλλαν ἔρχεται.* In Planc. 31 legitur *dul issima commendatione naturae.* Sed his in universum praemissis primum substantiva, quae in hanc rationem cadunt, tractaturus sum.

Atque Hor. carm. 1, 14, 11 dicit *Pontica pinus, silvae filia nobilis*; similis est ratio horum: Caecil. 65 *lex — sociorum patrona*, V. 3. 187 *anulum — testem virtutis, comitem pecuniae*, Mur. 44 *inquisitio — praenuntia repuls ie*, Sest. 21 *nobilitate — blanda conciliatricula*, V. 2, 5 *nutricem plebis R. Siciliam:* Caecil. 72 beneficia, quae se a populo accepturum sperat, Cic. translatione a bello sumpta obsides vocat (cf. Halmii notam); de or. 2, 36 historia t e s t i s temporum, lux veritatis, m a g i s t r a vitae, n u n t i a vetustatis appellatur. In Cluent. 147 occurrit: *mente legis* (cf. Sest. 31; V. 3, 193; Caecin. 50; 83), V. 4, 112 *servi libidinum — fugitivi ab legibus*. Dem. XIX, 210 *δοῦλος ῥημάτων*, Cic. Ph. VII, 8 *pacis alumnus*, Font. 49 *vitae socia virtus. mortis comes gloria*, Pis. 72 *sepulcro rei p.* prov. c. 2 *rei p. prope funera* (cf. ib. 45; Sest. 88), p. r. s. 18 *arbitria funeris rei p.* (cf. Pis. 21), Pis. 9 *bustum rei p.* cf ib. 11. Creberrime corporis humani partes aliis rebus tribui solent: Hor. epist. 2, 1, 176 *Securus cadat an recto stet fabula talo:* Eur. Iph. T. 173 *ἱερὸν ὄμμ' αὐγᾶς*, Phoen. 802 *Ἀρτέμιδος χιονοτρόφον ὄμμα Κιθαιρών*, Soph. Antig. 104 *ἁμέρας βλέφαρον* etc.; Soph. Oed. r. 189 *εὐῶπα πέμψον ἀλκάν*· sed talia sunt innumerabilia; ap. Aesch. Prom. 368 invenitur: *ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευροὺς γύας.* ib. Pers. 71 *αὐχένι πόντου*, ib. 929 *Ἀσία δὲ χθὼν ἐπὶ γόνυ κέκλιται*, Eur. Iph. T. 46 *χθονὸς νῶτα.* Ciceroniana huius g. haec fere esse videntur: Mur. 51 Catilina *dixit duo corpora esse rei p., unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite* (cf. Ph. VIII, 15; Pis. 25; Cael. 31; Rosc. A. 74; Cluent. 9; dom. 107; Mil. 43); V. 4, 106 *ex Aetnae vertice*, Cat. I, 5 *in Etruriae faucibus* (cf. V. 3, 145; 176; Cat. III, 1), V. 4, 129 *Ponti ore*, Arch. 21 *ex belli ore ac faucibus* etc.

Cael. 59 *sinu gremioque patriae* (cf. prov. c. 4; Pis. 11; 91; V. 5, 96; 125), V. 4, 106 Henna — *umbilicus Siciliae*, Caecil. 45 *accusationis membra*, Quinct 19 *in articulo temporis*, V. 3, 83 *vectigalium nervis, sanguine aerarii* (cf. Pomp. 17; V. I, 35; Ph. V, 5; 32); dom. 124 *visceribus aerarii*; cf. Pis. 28. In Sest. 78 a Clodio homines *rei p. sanguine saginantur*, Cat. I, 31 *periculum erat inclusum penitus in venis atque in visceribus rei p.*; his accedunt: p. r. s. 4 *interfectores rei p.*, l. a. I, 26 *rei p. vulnera*, id. Sest. 17; 31; Planc. 70; Ph. II, 43; IX, 5; cf. Marc. 24; Cluent. 58; Cael. 15; V. 5, 121; Pis. 47. His adde V. 2, 190 *avaritiae vestigia — cubilia*, Rosc. C. 51 *fraudis deverticulum*, Ph. II, 104 *deversorium libidinum*, Marc. 29 *vagabitur nomen, domicilium certum non habebit* (cf. Pis. 76; Sull. 33); Mil. 98 *omnibus in terris semper habitabit gloria* (cf. Ph. XII, 2); l. a. I, 6 *insignibus atque infulis imperii venditis*, quod exemplum, quamquam infulis sacerdotes utebantur, tamen haud scio an rectius quarto generi subiiciatur.

Longius translationis ratio deducitur in talibus: Sull. 76 *ex desperatis rei p. morbis ista repente vis erupit, ut ea confecta et eiecta convalescere aliquando et sanari civitas posset.* His exemplis propositis simul commode transiri posse videtur ad eam partem, in qua verba, quae proprie vocantur, in hac versantur ratione, ut Sest. 135 *cohortari ausus est, ut medicinam adhiberetis rei p. Non ea est medicina, cum sanae parti corporis scalpellum adhibetur —: ii medentur rei p., qui exsecant pestem aliquam tamquam strumam civitatis*; nam etiam ea exempla huc spectare puto, cum verbum, cuius actio in animalia dirigi solet, hoc modo etiam de inanimis dicitur; in Cat. II, 11 legitur: *quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo: quae resecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere*; cf. Sest. 55; 31; Pis. 27; l. a. II, 79; V. 3, 118; Caecil. 9; 70; Rosc. A. 154. Maximum huius g. exemplum exstat in Cat. I, 30 sq. quod tamen longius est, quam ut exscribatur. Ex Dem. huic Ciceroniano loco respondet XIX, 259 sqq. *νόσημα δεινὸν ἐμπέπτωκεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, καὶ χαλεπὸν καὶ πολλῆς τινὸς εὐτυχίας καὶ παρ᾽ ὑμῶν ἐπιμελείας δεόμενον. — τοῦτο τὸ πρᾶγμα–εἰς Πελοπόννησον εἰσελθὸν τὰς ἐν Ἤλιδι σφαγὰς πεποίηκε —. καὶ οὐδ᾽ ἐνταῦθ᾽ ἕστηκεν, ἀλλ᾽ εἰς Ἀρκαδίαν εἰσελθὸν πάντ᾽ ἄνω καὶ κάτω τἀκεῖ πεποίηκε. ταῦτα εὐλαβείας οὐ μικρᾶς δεῖται, ὡς βαδίζον γε κύκλῳ καὶ δεῦρ᾽ ἐλήλυθεν τὸ νόσημα. ἕως οὖν ἔτ᾽ ἐν ἀσφαλεῖ, φυλάξασθε καὶ τοὺς πρώτους εἰσαγαγόντας ἀτιμώσατε.* In hoc exemplo duplex inest translationis vis, cum et morbus translate de re p. dicitur et rursus hic morbus ipse quasi animal per Graeciam incedens et volitans fingitur; similiter usurpat D. XVIII, 45 *πόλεις ἐνόσουν·* cf. IX, 39.

Eadem fere ratione dicit Cic. in Vat. 36 rem p. vulnerare (id. Mil. 14; cf. Cat. I, 17), Ph. II, 101 infligere rei p. vulnus (id. Pis. 32), et Mur. 48: *plaga est iniecta petitioni — quam te securim putas*

iniecisse petitioni; cf. Vat. 20; Sest. 78; V. 5, 179; Planc. 70; in l. a. III, 4 occurrit: rei p. cicatricem refricare, p. r. s. 3 rem. p. lacerare etc., Sest. 24 rem p. contrucidare, et V. 4, 26 *ius civitatis supplicio mactatum*, p. r. s. 6 *res p. cruentaretur*. In Aesch. Pers. 114 legimus: *μελαγχίτων φρήν*, ib. Prom. 24 *ποικιλείμων νύξ*, Eur. Jo. 1050 *μελάμπεπλος Νύξ*. Cic. habet: V. 4, 122 *parietes vestiebantur* (cf. dom. 101), ib. 118 *urbs portibus cincta*; cf. l. a. II, 87.

Saepe verba nasci, gignere, *τίκτειν*, *τεκνοῦσθαι* de rebus inanimis adhibentur, ut in Soph. Ai. 522 *χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί*, ib. Oed. C. 618 *χρόνος τεκνοῦται νύκτας ἡμέρας τ' ἰών*, Aesch. Pers. 618 *ἄνθη παμφόρου γαίας τέκνα* dicuntur; in Phaedr. fab. 4, 22 legitur: *mons parturibat gemitus inanes ciens eratque in terris maxima exspectatio. At ille murem peperit.* Similiter Hor. de art. p. 139: *Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.* Cic. habet Ph. V, 31: *omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit robustius* etc.; Rosc. A. 75 *maleficia gigni* (cf. l. a. I, 18), Mil. 101 *locus — virtutem — procreavit*, Ph. II, 118 *dolor populi R. pariat, quod iam diu parturit*; cf. Mur. 84.

In Quinct. 53 reperimus: *respirasset cupiditas*; cf. Cluent. 183; Ph. VIII, 20; simile est Demosthenis *ἀναπνεῦσαι* de cor. 195. In Sest. 83 dicit Cic.: *si maiestas populi R. revixisset* etc. (cf. ib. 50), Cluent. 177 *cum iam tortor atque essent tormenta ipsa defessa* (cf. har. r. 27; V. I, 31). In Aesch. Agam. 565 legitur: *πόντος ἐν μεσημβριναῖς κοίταις ἀκύμων νηνέμοις εὕδοι*, Eur. Suppl. 1100 *οὔπω κακὸν τόδ' εὕδει*, Iph. T. 387 *ἄυπνους ἀκτάς*, Soph. Phil. 650 *κοιμᾶ τόδ' ἕλκος*. Ciceronis huius g. exempla sunt in Pis. 27 *experrecta virtus*, Cael. 41 *sopita virtus* (cf. Sest. 67); Dem. XIX, 305 habet: *ἐγείρεται πόλις*. In Aesch. Sept. 682 legitur: *οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος*. Cic. in Cluent. 5 dicit *invidia consenescat*; Soph. Oed. C. 611 *θνήσκει δὲ πίστις*, Dem. XIX, 281 *τέθνηκεν ἱερεῖα*, Cic. V. 5, 45 *leges mortuae* (cf. Rab. p. 25; p. r. s. 3; Pis. 93; Cael. 76), Cat. IV, 11 *sepulta patria* (cf. Ph. XIV, 33; Pomp. 30; Pis. 11), dom. 42 *funere elatam rem p.*, Sest. 54 *spirante etiam re p. ad eius spolia detrahenda advolaverunt.*

Jam vero verba clamandi et dicendi frequentissime sic adhibentur: In Eur. Troad. 28 *βοᾷ Σκάμανδρος*, Hipp. 830 *βοᾷ, βοᾷ δέλτος ἄλαστα*, Aesch. Sept. 64 *βοᾷ κῦμα*, ib. 247 *στένει πόλισμα γῆθεν*, Choeph. 311 *δίκη μέγ' ἀυτεῖ*. Ex. Cic. ea tantum ponam, quae praeter cetera excellere videntur: Rosc. C. 37 *restipulatio clamat*, quod exemplum declarat, quam pervulgatus hic usus fuerit; ib. 38: *restipulatio dicere videtur*, dom. 86 *monumenta loquuntur* (cf. Cael. 47; Mil. 53; 66), Sest. 13 *tribunatus ad sese vocat et quodam modo absorbet orationem*; Cluent. 88 *veritas vocem miserit*; Cael. 60 *domum metuet, ne quam vocem eiiciat*; Pis. 21 *templa gemerent, tecta ipsa urbis lugerent*; Arch. 19 *saxa et solitudines voci respondent.* Demosthenica

exempla sunt: XIX, 119 *ταῦτ' οὐχὶ βοᾷ καὶ λέγει ὅτι κτλ.*, I, 2 *καιρὸς μόνον οὐχὶ λέγει φωνὴν ἀφιείς* (cf. XVIII, 170, 172), XIX, 81 *ἡ ἀλήθεια καὶ τὰ πεπραγμένα αὐτὰ βοᾷ*, Mid. 30 *νόμοι–πᾶσιν ὑπισχνοῦνται δίκην κτλ.*, VIII, 28 *λέγουσιν οἱ νόμοι*, IX, 42 *τί λέγει τὰ γράμματα*; haec duo novissima exempla documento sunt, quam tritum hoc dicendi genus etiam apud Graecos fuerit.

Verborum porro postulandi hic usus plane communis esse videtur; illustriora haec exempla commemorabo: V. 3, 8 *domus hiare ac poscere aliquid videtur* (cf. V. 2, 134), Sest. 7 *rei p. dignitas me ad sese rapit, minora relinquere hortatur* (cf. Rab. p. 2), Mil. 20 *agri ipsi tam beneficium — civem desiderant* etc. His talia accedant: V. 1, 61 *signa — sectorem exspectant*, V. 5, 44 navis *prospectare exsilium et explorare videtur*; Font. 41 multae res supplicant, Ph. II, 115 laus allicit, Dei. 3 dolor elicit veram vocem, Marc. 10 parietes gratias agere gestiunt, Planc. 20 Ciceronum honoribus agri ipsi prope montesque favebant, ib. 96 ipsa paene insula sese obviam ferre vult, V. 5, 171 muta et inanima commoventur, Ph. X, 8 Brutus cedens Italia — spectaculum undis ipsis luctuosum erat, Ph. XIII, 49 »*prius undis flamma*«, *ut ait poeta nescio quis, quam aut cum Antoniis res p. aut cum re p. Antonii redeant in gratiam*, Pomp. 21 classis odio inflammata rapitur, Cat. II, 2 urbs laetari videtur, quod tantam pestem evomuerit, Pis. 30 consules (Pisonem et Gabinium) ne fasti quidem ulli ferre possunt, Ph. XIV, 6 mucrones militum tremunt dubitantes etc. His mixta quaedam adiungamus: Mil. 9 *gladium ab ipsis porrigi legibus*, Cat. II, 25 causae confligunt, iacent, V. 2, 167 eripiunt orationem statuae, Quinct. 4 veritas debilitata recreatur, Sest. 60 virtus pulsa manet, Cat. I, 25 cupiditas effrenata rapiebat. Ex Dem. addenda sunt IV, 45 *τὸ τῶν θεῶν εὐμενὲς συναγωνίζεται*, ib. 44 *εὑρήσει τὰ σαθρὰ αὐτὸς ὁ πόλεμος* (cf. XIV, 23), XXI, 89 *δάκνει καὶ τοῦτο*, II, 9 *μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε* etc.

In verbis vero eundi eligendi ratio magnam habet difficultatem et propter eam causam, qud multitudo eorum, quae in hanc rationem cadunt, maxima est, et quod non facile est statuere, quem ad finem in his translationis vis iam exstincta putanda sit. Ap. Eur. in Heracl. 625 legitur: *ἁ δ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων·* Dem. haec et talia praebet: VIII, 18 *προσελθεῖν τὸν πόλεμον*, in Zenoth. 26 *τῆς ζημίας ἐφ' ἡμᾶς ἰούσης*, I, 15 *πόλεμον δεῦρο ἥξοντα*, VI, 33 *πρᾶγμα προβαίνει*, VIII, 72 *ἐπ' ἐκεῖνο ἡ φύσις αὐτὴ βαδιεῖται*, XIX, 248 *ἄτη στείχει*, XVIII, 33 *ἐκφύγοι τὰ πράγματα*. Quanto opere haec dicendi ratio et loquendi iam in communem consuetudinem abierit, apparet ex talibus exemplis: XIV, 29 *εἴ γ' ἐπὶ χρήμασιν αὐτῷ μέγ' ἐπέρχεται φρονεῖν*. Ciceroniana huius m. rariora haec sunt: Pis. 52 ipsa Roma prope convulsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum progredi visa est etc. (cf. p. r. s. 25; Rab. p. 8), V. 3, 219 avaritiae, quae antehac occultis itineribus atque angustis uti solebat, via patefit

illustris atque lata, Cluent. 83 a iudicibus petitur, ut patiantur eo transire infamiam, ubi maleficia consistant, ab eo invidiam discedere, ad quem numquam accessisse culpam videant, Balb. 16 res gestae omnes gentes peragraverunt, Pomp. 34 tanti belli impetus navigavit, V. 5, 88 evolarat quadriremis (cf. Dei. 30), V. 2, 53 serpit iniuria et peccandi consuetudo, l. a. II, 87 Karthago succincta portibus, armata muris excurrere ex Africa, imminere insulis videbatur — sublata est, ne quando recreata exurgere atque erigere se posset; Sest. 68 res erat et causa eo iam loci, ut erigere oculos et vivere videretur; cf. V. 2, 50; 4, 20; Quinct. 5[94]).

Praeterea digna videntur, quae commemorentur: Rosc. C. 48 *ipsa mihi veritas manum iniicit et paulisper consistere cogit*; Cluent. 183 *improbitate depressa veritas emergit et innocentiae defensio interclusa respirat;* Planc. 33 libertas oppressa caput extollit; Ph. XIII, 38 causa iugulata numquam exurgit (cf. dom. 119); Ph. XII, 9 Gallia *belli — sustinendi principatum tenet, D. Bruti nutum secuta belli initia firmavit: crudelitati M. Antonii suum totum corpus obiecit, omnes bëlli patitur iniurias, dum modo repellat periculum servitutis* (cf. ib. X, 9); dom. 64 *furor inanes faciebat impetus:* Sull. 59 *amore possessiones amplexi tenebant* (cf. Sest. 53; Pis. 19; Planc. 96; Flacc. fr. Med.); Pis. 81 *habet hoc virtus, quam tu ne de facie quidem nosti, ut viros fortes species eius etiam in hoste posita delectet;* cf. Arch. 16 etc.

Postremo etiam nonnullorum adiectivorum huc pertinentium separatim exempla appono ex Ph. II, 97 *caeca avaritia*, Mil. 25 *mancam ac debilem praeturam*, Caecin. 61 *ieiuna calumnia*, har. r. 2 *effrenato et praecipiti furore* (cf. dom. 115), Planc. 57 *nihil tam velucre quam maledictum*, Dem. XVIII, 149 *λόγους εὐπροσώπους*. Hac exemplorum copia me huius rei qui sit Demosthenis et Cic. usus satis ostendisse mihi videor: nunc disputatio traducenda est ad id genus, quo pro animalibus res inanimae substituuntur.

Atque id in homine quamquam gradus quasi deiectionem quandam habet atque motionem ab suo ordine, tamen non semper contumeliae causa assumitur, sed saepe etiam valet ad laudem. Nam ut animalia, si rem simpliciter spectes, res inanimas dignitate et virtute superant, ita comparatione quarundam partium saepe sunt inferiora ut magnitudine et spatio, viribus, motus celeritate. Summa igitur laus est, cum Cic. in Balb. 34 Cn. et P. Scipiones fulmina imperii appellat. Sed, ut statim in rem ipsam intremus, plurima, quae proprie ad plantas vel omnino ad rem rusticam atque agriculturam pertinent, translate etiam de hominibus dicuntur. Praesto sunt haec Ciceroniana: Cat. II, 24 *florem*

[94]) Fusius hunc locum exposuit Henseus in scriptione scholastica „Poetische Personificationen in griechischen Dichtungen" (Parchim 1864) p. 45 sqq.

Italiae ac robur educite; cf. Lig. 32; Ph. III, 13; XI, 39; Flacc. 61; Planc. 23. Graecum ἄνθος ap. Dem. nusquam, ap. poetas autem creberrime occurrit, velut ap. Aesch. Prom. 420 *Ἀραβίας ἄρειον ἀ.*, Pers. 59 *ἀ. Περσίδος αἴας*, ib. 252 *Περσῶν δ' ἀ. οἴχεται πεσόν*, Agam. 197 *ἀ. Ἀργεῖον* etc. In Cic. Mur. 58 Cato *firmamentum ac robur accusationis* appellatur (cf. Cluent. 153), Ph. II, 55 M. Antonius semen belli. Soph. in Ant. 599 dicit: *ἐσχάτας ὑπὲρ ῥίζας ἐτέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις*, Ai. 1178 *γένους ἅπαντος ῥίζαν ἐξημημένος*, El. 765 *πρόρριζον ἔφθαρται γένος*. Similis audacia Ciceronis est in Sest. 50 (C. Marium) ex eisdem radicibus natum esse, in Cat. II, 23 Cic. metuit, ne in re p. seminarium Catilinarum remaneat (cf. Ph. XIII, 3); dom. 69 ubertas improborum commemoratur; Mil. 35 Clodium Miloni segetem ac materiam gloriae fuisse significatur; in Rosc. C. 28 legitur: *nemo illum ex trunco corporis spectabat*; har. r. 5 *stipitem illum, qui quorum hominum esset nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret.*

Florere porro paene omnia dicuntur, ut in Sest. 101 L. Saturninus floret in ratione populari. Ph. II, 46 familiae florent, ib. XII, 16 exercitus etc.; in Cael. 79 Cic. orat, ne iudices Caelium tunc primum florescentem, firmata iam stirpe virtutis, tamquam turbine aut subita tempestate pervertant. Item in verbo propagandi multo usu paene omnis translationis vis consumpta iam videtur; Marc. 23 exhibet propaganda suboles (cf. Ph. I, 13); Ph. VII, 1 *senatum dolent ad auctoritatis pristinae spem revirescere*, cui loco respondet Horatianum illud (carm. 1, 9, 17) *donec virenti canities abest morosa.* Etiam mitigare a similitudine pomorum, quae calore solis decoquuntur et maturescunt, ductum in alias res transfertur, ut in V. 1, 82 *Lampsacenos in istum numquam ulla res mitigasset;* in Sest. 101 reperitur *insitivum Gracchum.* Ex Dem. huc trahenda esse videntur XVIII, 61 *φορὰν προδοτῶν* et indid. 19 *κατὰ πάντων ἐφύετο.*

His leviter perstrictis pergamus ad id translationum genus, quod a verbis flagrandi et urendi itemque ab igne et similibus petitur; etiam contrariam rationem frigoris et exstinguendi obiter attingamus. Soph. in Ai. 478 dicit: *ἐλπίσιν θερμαίνεται*, in Rhes. 120 legitur: *αἴθων γὰρ ἀνὴρ, καὶ πεπύργωται θράσει.* A Cic. dom. 102 Clodius *fax et furia patriae* vocatur (cf. Ph. II, 48; VII, 3), Ph. XI, 10 L. Antonius fax, facinus, scelus, gurges, vorago, ib. X, 11 C. Antonius tempestas, flamma, vastitas, pestis Graeciae, dom. 2 Clodius *labes ac flamma rei p.* In V. 5, 92 verbum idem simul proprie et translate adhibetur: *praetor amoris flamma, classis populi R. praedonum incendio conflagrabat*, cf. V. 1, 41; 147; I, 5; in Pis. 62 dicitur Cotta nullo certo hoste flagrare; cf. V. I, 43; 4, 75; dom. 107; Mur. 65; Cluent. 12; Sest. 140; Mil. 75; in Flacc. 67 nullo ablativo apposito usurpatur: *multitudinem Judaeorum flagrantem non numquam in contionibus prae re p. contemnere gravitatis summae fuit;* in Sest. 134 coniungitur

exspectatione elatus et *flagrans cupiditate*; Pis. 59 *fertur gloria*; *flagrat, ardet cupiditate triumphi.* Similiter homines dicuntur ardere amore, iracundia, dolore, cupiditate, studio, odio, avaritia, in Ph. IV, 16 usurpatur *ad spem exarsimus* (cf. XI, 3), V. 4, 48 *oculis arderet,* Ph. IV, 11 *ardentes et erectos ad libertatem recuperandam.* Eod. m. tractatur inflammari scelere, furore, crudelitate, cupiditate, studio, libidine, odio ira, dementia, victoria, causa, prov. c. 24 in amicos, Ph. XII. 15 cohortationibus, V. 3, 79 ad perseverandum; in Cael. 27 est *cum omnia inflammatus ageret* etc., Ph. XI, 32 *ardentem inflammabitis.* Incendi dicuntur homines libidine, suspicione, odio, ira, studio, prov. c. 35 ad rem p. bene gerendam, V. 4, 39 Eriphyle pulchritudine monilis, iunguntur autem V. 2, 89 *iratus et incensus,* Ph. XIII, 15 *incensi rapimur ad libertatem recuperandam,* Quinct. 38 *fervet ferturque avaritia;* etiam Tull. 18 *semustilatus* huc spectat. In V. 2, 74 reperitur: *aestuabat dubitatione* (cf. ib. 55; Rosc. C. 43; Flacc. 47); Ph. V, 25 *nomen ipsum legatorum populi R. restinguet ardorem;* cf. ib. XIII, 15; ceterum verba restinguere et exstinguere cerbro usu iam omnem tropicae dictionis venustatem amisisse videntur; in Ph. VI, 14 deprehenditur: *friget patronus Antonius.* Longius haec translatio ducitur his locis: dom. 13 *providendum senatui fuit, ne in hanc tantam materiam seditionis ista funesta fax adhaeresceret* (cf. Rab. P. 13; Cat. I, 29); har. r. 45 *in me flamma illorum temporum coniiciebatur. Excepi, exarsi, sic tamen, ut vos isdem ignibus circumsaepti me primum ictum pro vobis et fumantem videretis.* Ap. Dem. huius g. nullum vestigium deprehendere potui.

Age nunc illa videamus, quae a verbis ad aera pertinentibus sumuntur; etiam maris similitudo ventis concitati et navigationis ratio apte cum his cohaerere videntur. Talia fere ad homines pestiferos et turbulentos describendos conferuntur. V. 1, 89 Verres horribilis tempestas sociorum appellatur (cf. 2, 91), dom. 137 Clodius procella patriae, turbo ac tempestas pacis (cf. Vat. 33; Sest. 25); utque in Aesch. Sept. 64 *κῦμα χερσαῖον στρατοῦ* et ib. 1077 *κύματι φωτῶν* usurpatur, sic a. Cic. Sest. 111 Gellius gurges ac vorago patrimonii dicitur (cf. dom. 124; V. 3, 23), Pis. 41 Gabinius et P. geminae voragines scopulique rei p. Conflare in plurimis exemplis omnem vim tropicam amisisse videtur: In Sull. 33 est »exercitum conflare«; id. Ph. IV, 15; Cael. 12 Catilina *monstrum ex contrariis diversisque et inter se repugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum* etc. Inflari dicuntur homines Mur. 49 spe, Arch. 18 spiritu divino, Ph. XIV, 15 laetitia (cf. Sest. 18), l. a. II, 97 coniunguntur *rebus elati et inflati*, in Vat. 16 occurrit *quem tu dirumperis* (scil. ira inflatus) *cum aedilicium vides* (cf. Dem. de cor. 21, 87, LIV, 41), Flacc. 54 *contio ventilata*; ex Dem. etiam LI, 2 *τριήρους ἀμελήσαντες τοὺς ῥήτορας παρεσκεύασαν* huc cadere videtur. Plura verba haec ratio comprehendit in his exemplis: Ph. XII, 19 Petissius Urbinas *ex naufragio luculenti patrimonii ad*

haec Antoniana saxa proiectus est, cui haud absimile videtur Sest. 56 *nationes conquassatas*. Cat. I, 12 habet: *residebit in re p. reliqua coniuratorum manus: sin exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum perniciosa sentina rei p.* Vat. 6 *cum tu ceteraeque pestes rei p. sanguinem principum civitatis exsorbere cuperetis* etc. quod exemplum illustratur hoc sequente Ph. XI, 10: *Quam facem, quem gurgitem, quam voraginem! Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione — censetis?* cf. Ph. II, 71; har. r. 59.

Porro reprehendendi causa talia a Cic. adhibentur: dom. 47 *o caenum, o portentum, o scelus* (cf. Ph. V, 16), Vat. 25 labes pestisque (cf. Mur. 52; Sest. 20; 26; V. I, 2; Pis. 13; 56; dom. 107; 133; har. r. 46), har. r. 24 *lues impura*, Pis. 82 *cadaver*, Sest. 94 *quisquilias*; similis est Demosthenis usus nominis *ὦ κάθαρμα* de cor. 128, quocum conferantur XIX, 198, XXI, 198, et de cor. 127 *περίτριμμα ἀγορᾶς*. In Cic. Vat. 23 occurrit *ex caeno atque tenebris tyrannus*, Sest. 15 *ex scelerum colluvione natus*, Flacc. 18 *faecem civitatum quid est negotii concitare*; cf. Pis. 9; V. 1, 99. In verbo nititur translationis ratio Ph. II, 43 *agros turpissimis possessoribus inquinavit*; Pis. 59 P. *homullus, ex argilla et luto fictus Epicureus dicitur*, V. 3, 35 V. *homo luteus*; ex Dem. addendus est frequens usus adiectivi *μιαρὸς* in tali ratione, ut XXI, 103 *τὸν μιαρὸν–τὸν κονιορτὸν Εὐκτήμονα ἐάσω·* cf. ib. 139 etc.

. His propter quandam cognationem haec accedant. In Ph. III, 28 a Cic. A. ex libidine, crudelitate, petulantia, audacia totus conglutinatus esse dicitur, Cluent. 72 Staienus *totus ex fraude et mendacio factus* (cf. Rosc. C. 20), Mur. 60 *finxit te ipsa natura ad honestatem — magnum hominem et excelsum*, quibuscum conspirant exempla Horatiana *Fonteius, ad unguem factus homo* (sat. 1, 5, 32) et *cereus in vitium flecti* (de art. p. 163) et Demosthenis *ἀνδριάντα* (de cor. 129); ex Cic. etiam addenda sunt Pis. 59 *homo factus ad persuadendum, concinnus, perfectus, politus ex schola* (cf. ib. 70); V. 3, 160 etiam si in filio Verris Catonis materia et indoles sit, tamen nihil boni ex eo sperari posse, cum in talis patris disciplina educetur.

Deinceps verborum fundendi, fluendi, similium qui sit in hoc g. usus breviter explicemus. Eur. in Med. 951 habet: *τί συγχυθεὶς ἕστηκας;* Aesch. Pers. 601 *ὅταν ὁ δαίμων εὐροῇ*, ib. 87 *μεγάλῳ ῥεύματι φωτῶν*; Ciceroniana huius notae inveniuntur Planc. 18 *caput et fontem generis*, Cael. 6 *ab his fontibus profluxi*, ib. 19 *quaeram, ex quo fonte senator emanet* (cf. Mil. 34), Sest. 69 *ex novem tribunis unus defluxit*, prov. c. 32 *Marius influentes in Italiam Gallorum copias repressit* (cf. ib. 31), V. 5, 142 *affluens lepore et venustate* (cf. Rosc. C. 27; Cluent. 189), Rab. P. 11 *reus redundat*, Mil. 71 *copiis circumfusus*, Sest. 97 *numerus diffusus*, V. 5, 28 *fusi sine mente et sine sensu iacerent* (cf. Pis. fr. VI), Sest 42 *effusam manum*, Cael. 13 *quis in*

largitione effusior etc. Ex Dem. huc pertinet de cor. 136 *πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν.*

A luce autem et verbis lucendi similitudo ducta est his locis: Vat. 25 *splendor praestringebat oculos;* sed in verbis »splendor et splendidus«, quae ordinis equestris propria erant, Ciceronis aetate iam omnis tropica venustas exstincta fuisse videtur, in hoc autem ipso exemplo, quod modo posui, verbo praestringendi haec vis aliqua ex parte resuscitatur. In Cat. III, 24 dicitur: *clarissimis viris interfectis, lumina civitatis exstincta sunt;* cf. Dei. 15; Sull. 5; Mil. 37; prov. c. 22; Vat. 26; Ph. II, 51; 54; XI, 13; 14; 24.

Sequuntur translationes ductae ab aedificiis aliisque rebus hominum manu factis et comparatis vel ab eis, quae his accidere solent. In V. 3, 176 Timarchides *columen familiae* dicitur (cf. Flacc. 41; Sest. 19), V. 5, 126 populus R. portus, ara, arx sociorum, cf. Ph. VIII, 24; similiter commemorantur prov. c. 13 publicanorum ruinae (cf. dom. 96), Flacc. 24 innocentiae labes aut r., quae tamen exempla, si eorum rationem metonymiae respicias, ad quartum translationum genus revocanda sunt; dom. 27 legitur *desinant isdem machinis sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt;* V. 3, 47 *labefactarat oratores iam superior annus, proximus vero funditus everterat* (cf. ib. 77) etc., Ph. II, 24 *res p. staret, tu concidisses,* Ph. XIII, 26 *homo diruptus dirutusque,* Ph. XIV, 8 *ruit ipse suis cladibus,* Rab. P. 43 *labentem excepit, fulsit et sustinuit;* cf. Cat. II, 21 etc.; aliam quandam vim habet »ruere« Rosc. A. 91: *ruebant in tenebris omniaque miscebant;* Dem. habet XXI, 139: *τούτου προβέβληται Πολύευκτος,* XXXII, 10 *ἐργαστήρια μοχθηρῶν ἀνθρώπων* (cf. XL, 9 et II, 8 iam supra p. 29 allatum). V. 4, 53 V. everriculum appellatur, in Lig. 10 legitur: *ad crudelitatem te acuet oratio;* adiectivum autem »acutus« et Graecum *παροξυνθῆναι* propter frequentem usum hic non sunt numeranda. In Mur. 64 habet Cic.: *te ipsum — usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit* (cf. ib. 60; 24; Sull. 18; Arch. 19), Sull. 46 *nemo me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non perverterim ac perfregerim,* cf. Flacc. 53 *proterendum et conculcandum.* In Sest. 115 invenitur: *pendet rebus levissimis,* l. a. II, 66 *nolo suspensam et incertam plebem caeca exspectatione pendere* (cf. dom. 96; Cluent. 8; V. 5, 14; l. a. I, 23); Dem. XIX, 18 *ἀναρτωμένους ἐλπίσιν ἐξ ἐλπίδων,* etiam indid. 224 *ἐκλελύσθαι μοι δοκεῖτε* hic ponatur. In Ph. VII, 14 occurrit *ad spem devoluti,* V. 5, 145 *iste in omnia maria infestus imminebat,* Cael. 69 *in istam quadrare,* Cluent. 71 *Guttam aspergit Bulbo.*

Cadere dicuntur homines in eis, quae non consilio nec ratione, sed temere facere videntur, ut V. 3, 178 in fraudem incidisse; cf. ib. 4, 101; Pis. 70. Ferri porro proprie ea dicuntur, quae interna quadam rerum vi et nutu suo in tellurem rapiuntur. In V. 5, 140 legitur: *consuetudine ad corpora civium R. ferebatur manus ipsa lictoris;* cf. Vat. 39; Planc. 6; Cluent. 12; 199; Pis. 59; Rosc. A. 88. Quod si

homines dicuntur se offerre, obiicere, rapere, eripere, eiicere, coniicere proiicere, immittere, insinuare, inferre, colligere, intro dare (Caecin. 13), irrumpere, aspirare, eiici (l. a. II, 84), eripi, tolli, transferri, deripi, poripere, rapi (in fraudem har. r. 39), illud non iam in rationem tropi, quatenus quidem est ornamentum orationis, cadere videtur.

Postremo adiectiva quaedam huc spectantia addenda videntur: Mur. 66 *asperior non est factus, sed lenissimus*, Ph. VIII, 25 *ferrei sumus* (cf. ib. XII, 19; V. 5, 121; Cat. IV, 3; 12; Cael. 37; Pis. 63), Caecin. 28 *placidum mollemque reddidi*, Cat. II, 21 *infitiatores lentos*, V. 1, 121 *frigidiores*, quod item, si metonymiae rationem habemus, sequenti generi subiiciendum erit. Haec sunt fere, quae dicenda videbantur de eis translationibus, in quibus res inanima pro animata ponitur: restat locus de eo transferendi genere, quod multo uberrimum et copiosissimum est, cum res inanimae pro aliis eiusd. g. usurpantur.

Atque, ut a simplicissimis ordiamur, primum paucis commemorabimus, rerum earum, quae cerni tangive possunt, quasdam qualitates in eas res transferri, quae non cadunt sub sensus. Dem. XIX, 187 dicit: *ψυχρὸν ὄνομα*, XX, 10 *αἰσχρὰν δόξαν τῇ πόλει περιάπτει*, Cic. Sull. 75 *foedissimam vitam*, Caecil. 8 *nomen asperius*, Caecin. 9 *leniorem actionem*, V. 1, 26 *legem molliorem*, Mil. 76 *obduruerat et percalluerat civitatis incredibilis patientia*, Ph. V, 50 *cupiditatem dominandi praecipitem et lubricam anteferre verae, gravi, solidae gloriae* (cf. ib. II, 59; Pis. 60; 68; V. 5, 137; Sest. 93; Planc 21), Balb. 19 *causam firmam et stabilem*, Quinct. 93 *vitam horridam et aridam*, V. I, 17 *pertenui argumento* etc. — Deinde summa varietas est earum translationum, in quibus res corpore carentes in aliqua loci ratione includuntur. Ac temporis nullum, nisi fallor, verbum proprium habemus; nam ipsum nomen temporis a verbo *τέμνειν* ductum est; sed paucis exemplis res magis declarabitur: In Rab. p. 6 invenitur *temporis angustiis*, l. a. II, 80 *inclinatione t.* Pis. 21 *eodem loci vestigio et t.* prov. c. 26 *cumulus dierum*, Rab. p. 6 *semihorae circulum*, Pis. 8 *in Calendas dies incidisset*, Quinct. 20 *dies aufert*, Rosc. A. 28 *tempore pugnatur*, V. I, 6 *tempus obsideret*, ib. 1, 43 *tempore circumscripto*, I, 53 *rem in tempus adduci*, Ph. V, 30 *teretur tempus* (cf. Dem. XIX, 333), Sest. 71 *abiit annus* — liceat hic ordinem institutum paulutum perturbare — Quinct. 46 *inter annos* — nam omnes praepositiones proprie et a principio ad loci rationem spectant — Mil. 49 *in noctem se coniiceret*, Quinct. 33 *posteriore — priore loco causam dicere* etc.

Non numquam etiam praepositiones hanc tropicam vim retinere videntur, ut Dem. de cor. 22 *ἐπ᾽ αὐτῆς τῆς ἀληθείας οὕτω δεικνυμένων* (cf. ib. 17), cui respondere videtur Ciceronianum (Flacc. 26) *veritate fundatum*. In Caecin. 84 legitur *verborum angustias*, *lit-*

terarum angulos (cf. p. r. s. 10; Pis. 57); Mur. 12 *maledicto nihil in his rebus loci est, quod omnia laus occupavit* (cf. V. 3, 206), Mil. 21 *alta mente*, Rosc. A. 68 *praerupta audacia*, Dem. XIX, 122 *πραγμάτων μετεώρων*, Cic. Cat. III, 17 *molem mali.*

Cadere de omnibus rebus usurpatur, quas non ratio nec consilium regere aut moderari videtur, ut Mil. 81 *si minus viri virtus civibus grata cecidisset* etc.; deinde omnia, quae ex meliore parte in peiorem mutantur, recidere dicuntur, contra ascendere et similia de eis adhibentur, in quibus processus in melius fit, unde est etiam illud *in virtute multi ascensus* (Planc. 60). In Sull. 91 occurrit *omnia ex laetitia ad luctum reciderunt*, cf. Ph. VII, 27; V. 5, 163; Dem. habet I, 8 *παραπεπτωκότα καιρόν*, VI, 34 *ὀργῇ περιπεσεῖν* (cf. XXI, 96, 100). A Cic. Dei. 8 dicitur in animo crimen insidere, V. 3, 77 pretium resedisse, Rosc. C. 33 pretia iacere, Mur. 18 nomen consedisse, Arch. 22 in coelum Catonem tolli, Ph. II, 38 spe victoriae elatum esse, Rab. P. 2 satis esse homines imprudentia lapsos non erigere, urgere vero iacentes aut praecipitantes impellere certe inhumanum esse; cf. dom. 25; har. 3. 50; Pomp. 23. In Cluent. 71 *oscitantem leviter impellit* (cf. ib. 70; de or. 2, 324), Rosc. A. 121 *quo studiosius opprimitur et obscuratur, eo magis eminet et apparet*, Dei. 26 *vino se obruisse* (cf. Rab. P. 2; V. 1, 20; Mur. 8; Dei. 37 etc.); Mur. 16 *ex vetustate eruenda memoria.*

Dem. I, 11 et plurimis aliis locis habet *ἐπανορθώσασθαι*, XIV, 5 *εἰς τὴν ταραχὴν προκαθεῖναι τὴν πόλιν*, XVIII, 143 *ἀνέτρεψε τά τῶν Ἑλλήνων*, XXII, 35 *ὀνείδει περιβαλεῖν*, IX, 8 *τοὔνομα τὸ τῆς εἰρήνης προβάλλει*, XXIV, 49 *ἐμβαλεῖν τὸν νόμον εἰς τοὺς νόμους καὶ μὴ θεῖναι*, in quo exemplo translationis ratio contentione verborum etiam vehementius illustratur etc. In Cic. Vat. 23 invenio *leges conculcaris* (cf. Ph. II, 57; Sest. 81), Cael. 46 *obterendae sunt voluptates* (cf. V. 5, 2; Caecin. 18), cui exemplo adiungere velim Sophoclis (Ant. 1275) *λαξπάτητον ἀντρέπων χαράν*, et Dem. XVIII, 104 *τοὺς ἀπόρους ἐπιτρίβουσι·* cf. ib. 180, I, 11; Cic. Sull. 19 dicit *animum refricare memoria*; cf. Pis. 82; Ph. III, 18. In Ph. XIII, 29 occurrit *contudi et fregi audaciam* (cf. Mur. 79; Vat. 18), Quinct. 26 *officium comminuere*, Rab. P. 33 libertatem proiecissem, Sull. 2 *de auctoritate deripuisset*, Caecin. 55 *si in verbis ius constituamus*; nam ut rem non in plurimas formas discerpam, non possum non res disiunctissimas et diversissimas congregare.

Dem. IX, 61 habet: *ῥῆξαι φωνήν*, III, 8 *πρὸς ταῦτα ἐπικλῖναι τὰ πράγματα* (cf. XXIII, 105, XXXII, 26), XXIV, 101 *κύκλῳ φεύγων τοὺς νόμους*, I, 28 *ἀπωθεῖν τὸν πόλεμον*, XXIV, 162 *ἐθῶν εἰς τὴν πολιτείαν εἰσαγομένων*, XXIII, 73 *τὰ ἐκ παντὸς τοῦ χρόνου παραδεδομέν' ὑπερπεπήδηκεν·* Eur. Troad. 478: *τὸ λοίσθιον δὲ θριγκὸς ἀθλίων κακῶν·* Dem. XVIII, 140 *ὃ πᾶσι τοῖς προτέροις*

ἐπέθηκε τέλος, XXI, 18 ταῦτα ὡσπερεὶ κεφάλαια ἐφ' ἅπασι τοῖς νενεανιευμένοις ἐπέθηκε· Cic. Rosc. A. 8 *agitur nihil, nisi ut — damnatio velut cumulus accedat*; cf. ib. 30; l. a. II, 62. In V. 1, 21 legitur: *scelera unum in locum conferantur*, Sull. 76 *acervos scelerum*, Dem. de cor. 15 λοιδορίας συμφορήσας. In Aesch. Pers. 814 est: οὐδέπω κακῶν κρηπὶς ὕπεστι, ἀλλ' ἔτ' ἐκπιδύεται· huic exemplo subiicere liceat, Dem. II, 10 πράξεων ὑποθέσεις (cf. III, 2) et IV, 8 πεπηγέναι πράγματα ἀθάνατα· XXI, 91 adhibetur ἄνω κάτω τοὺς νόμους στρέφει (cf. ib. 116, de cor. 140, XXIV, 210), a Cic. Caecin. 73 *ius civile — neque inflecti gratia neque perfringi potentia neque adulterari pecunia possit*; cf. ib. 51; 77; Cael. 13 exhibet: in Catilina cum alia mirabilia fuerunt tum hoc: *versare suam naturam et regere ad tempus atque huc el illuc torquere ac flectere* (cf. ib. 22; har. r. 52). — In V. 2, 187 occurrit *suspicione offensi*; cf. Caecil. 72 etc. Dem. VIII, 61 ἀνάγκη τούτοις ὥσπερ προβόλοις προσπταίοντας ὑστερίζειν· cf. XVIII, 286, II, 20. — Ib. IX, 27 legitur: οὔθ' ἡ Ἑλλὰς οὔθ' ἡ βάρβαρος τὴν πλεονεξίαν χωρεῖ τἀνθρώπου; cf. XXI, 200 et Cic. Mil. 87. In Pis. 24 plura congregantur: *nomen consulis — non capiunt angustiae pectoris, non recipit levitas ista, — non infirmitas ingenii sustinet tantam personam*; cf. Ph. II, 114.

In Quinct. 81 invenio *mendacio tegere* (cf. V. I, 21; Cael. 43 etc.); Cael. 47 *flagitiorum integumenta*, cf. p. r. s. 16; in Rosc. A. 124 est: *sub nomine societas latuit*; Vat. 14 *nomen moribus praetendere*, Marc. 22 *in animis latebrae et recessus* (cf. Cael. 53 etc.); Dem. XIV, 5 φιλίαν προτείνεται (cf. XIX, 2), XXIII, 14 ἐλπίδας ὑπέτεινε (cf. XIX, 153); XVIII, 15 τὴν πρὸς ἐμὲ ἔχθραν προΐσταται (cf. V, 19). In cogitatione plagarum vel similium versari videntur Rosc. C. 46 *insidiae tenduntur* etc. Caecin. 65 *aucupia verborum et litterarum tendiculas*.

Saepe haerere et similia translate ponuntur: Cic. Pis. 74 *haererem, nisi tu me expedisses*, V. 5, 166 *hoc teneo, hic haereo*, ubi haerendi translationis splendor etiam ad verbum tenere refulgere eiusque metaphorae vim illustrare videtur; Ph. I, 36 *in medullis populi R. haerebant* (cf. ib. II, 74; XIII, 25; V. 2, 187; Mil. 56); Vat. 11 *te extremum adhaesisse*. Longius haec ratio ducitur Pomp. 19; in Mil. 68 est: *penitus inhaesisset suspicio, nullo ut evelli modo posset* (cf. V. 5, 139; Cat. IV, 23; Ph. II, 64); har. r. 57 dedecora *in eo defixa atque haerentia*, Ph. XIV, 13 *curas in rei p. salute defigunt*; cf. V. I, 7; dom. 9.

Haec cognatione quadam attingunt eas translationes, quae a similitudine vinculi et vinciendi ductae sunt: Marc. 23 *quae dilapsa diffluxerunt, legibus vincienda sunt* de vitium tractatione sumptum est (cf. Pis. 29); in Pis. 30 reperitur *lingua adstricta mercede* (cf. V. 4, 90), Caecin. 70 *vincula revellit — iudiciorum — utilitatis communis*;

V. 2, 190 *explicate descriptionem imaginemque tabularum, ut omnes mortales avaritiae non iam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint. — videtis extremam partem nominis, caudam illam Verrinam, tamquam in luto demersam esse in litura;* prov. c. 35 *rationem explicatam perturbare atque impedire* (cf. V. 4, 137 etc). In loco Dem. III, 7 *ἦν τοῦθ' ὥσπερ ἐμπόδισμα Φιλίππῳ καὶ δυσχερὲς* verbo *ὥσπερ* vis translationis, quae iam omnem quasi florem amiserat, renovatur. In Cic. Pis. 12 invenimus *nequitiam involutam*, Cael. 56 criminis *evolvere exitum*, har. r. 60 *consensus divulsus*, V. I, 3 *religionem perfregerint*, Cat. IV, 22 *conspirationem bonorum confringere et labefactare;* cf. Cluent. 15 etc.

Ex alio translationum quasi fonte talia manant: Aesch. Agam. 636 *εὔφημον ἦμαρ οὐ πρέπει κακαγγέλῳ γλώσσῃ μιαίνειν*, Soph. Oed. C. 1134 *κηλὶς κακῶν*, Hor. epist. 2, 1, 236 *carmine foedo splendida facta linunt;* Cic. dicit V. I, 11 *adolescentiae maculas* (cf. V. 5, 121; Cluent. 12; 130; Balb. 15; prov. c. 13; Sest. 63) dom. 23 *libidinum maculis notatissimo* (cf. Font. 36), Font. 41 *bellum sociale macula sceleris imbutum* (cf. dom. 60; Ph. III, 4), Pomp. 7 *delenda est illa macula Mithridatico bello superiore concepta: quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit in populi R. nomine* (cf. Rosc. A. 66; 113; V. I, 49; 1, 9; Planc. 30; Flacc. fr. Med.), Cael. 16 *ambitu se cummaculasset*; har. r. 27 *ludos flagitio pollueres, dedecore maculares, scelere obligares;* cf. Mil. 85, Sest. 108. In Pis. 72 occurrit: *idem casus illum — istius impurissimae — pecudis caeno et sordibus inquinavit* (cf. Rosc. A. 68; V. 3, 65; Planc. 46; Cael. 13; 78; Dei. 32; Ph. II, 98; har. r. 25; Flacc. 53), Sull. 45 *veritatem contaminarem mendacio* etc., Vat. 15 *labes dignitati aspersa* (cf. ib. 41; Cael. 23), V. 3, 8 *omnia stultitia oblita* (cf. Ph. XI, 27; XIV, 9), V. I, 17 infames illae tabellae, quae ib. 40 rursus commemorantur *ut discoloribus signis iuratorum hominum sententiae notarentur*, apte describuntur his verbis: *nullae sordes videbantur his sententiis allini posse;* Sest. 15 habet *scelerum colluvione*, Ph. XII, 12 *ut profusus sanguis eluatur, num elui praedicatio crudelitatis potest!* — hic idem verbum dupliciter transfertur — Cat. I, 10 *purga urbem*, V. 4, 32 *luteum negotium*; dom. 53 lex labes et eluvies appellatur. Demosthenica huius rationis esse videntur haec de cor. 50 *αἴτιος δ' οὗτος, ὥσπερ ἑωλοκρασίαν τινά μου τῆς πονηρίας τῆς ἑαυτοῦ καταςκεδάσας*, in Boeot. I, 11 *ἀλλήλους πλυνοῦμεν*, XVIII, 140 *οὐδέποτ' ἐκνίψει σὺ τἀκεῖ πεπραγμένα σαυτῷ*, XXII, 75 *πλούτου τινὰ δόξαν προσετρίψατο τοῖς κεκτημένοις* (idem inde transsumptum est XXIV, 183).

Venio nunc ad verba fluendi ac similia, quae summa varietate et frequentia in translatione versantur. Ac poeticae audaciae talia sunt: Eur. Suppl. 506 *ἄνω ἂν ῥέοι πράγμαθ' οὕτως*, cui loco non absimile est illud XIX, 287 *ἄνω ποταμῶν πάντες οἱ περὶ πορνείας*

ἐρρύησαν λόγοι. In Eur. Andr. 344 κακῶν ἐπιρροάς, Soph. Oed. C. 258 κληδόνος καλῆς μάτην ῥεούσης, Phil. 13 κἀκχέω τὸ πᾶν σόφισμα, Ant. 959 τᾶς μανίας ἀποστάζει ἀνθηρὸν μένος, Rhes. 532 ψόφος στάζει δι' ὤτων, Aesch. Agam. 1397 κρατῆρ' — κακῶν. Hor. carm. 4, 2, 10 habet: *per audaces dithyrambos verba devolvit numerisque fertur lege solutis*, 2, 7, 15 *Te rursus in bellum resorbens unda fretis tulit aestuosis*, sat. 2, 4, 95 *haurire vitae praecepta beatae*, ib. 26, 62 *ducere sollicitae iucundae oblivia vitae*, carm. 3, 21, 9 *Socraticis madet sermonibus*, epist. 1, 12, 9 *liquidus fortunae rivus*. Cic. Cael. 31 dicit *criminum video fontem, video auctorem, video certum nomen et caput* (cf. Ph. XIV, 15; Pis. 97), Marc. 4 *flumen ingenii*, Planc. 15 *undae comitiorum*, Rosc. A. 134 *sumptus — effusiones fieri*, p. r. s. 13 *fluentibus buccis* (cf. Pis. 25; Ph. XII, 8), Planc. 84 confluere ad se causas, V. 3, 155 *si quid redundarit de quaestu, ad illum defluxisse*, dom. 121 *effluunt multa ex vestra disciplina, quae ad nostras aures permanant* (cf. V. 4, 57), Mil. 103 *omnes in me redundant ex illo fonte dolores* (cf. Lig. 15; Cael. 57; Mur. 85; Cat. I, 29; l. a. II, 1 etc.), Cat. IV, 6 *Latius opinione disseminatum est hoc malum: manavit per Italiam, transscendit Alpes, obscure serpens provincias occupavit*; Planc. 57 *neque, si fontem maledicti reperietis, ut dissimuletis postulabo: sed si quid sine capite manabit* etc. (cf. Ph I, 5; XIII, 36; Rosc. A. 3, V. 1, 1; Cluent. 73); Cael. 6 *vitae ratio dimanavit*, Balb. 56 *ut sermones ad vestras aures permanarent et in iudicio ipso redundarent, idcirco illa in omni parte orationis summa arte aspergi videbatis*. In Caecin. 78 exstat: *ita sincera fides, ut, quidquid inde haurias, purum te liquidumque haurire sentias* (cf. Arch. 13; Cael. 59; dom. 30; l. a. II, 32; Mil. 10), l. a. I, 11 *reges exhauriunt*, Ph. II, 77 *amorem — transfudisse*, Rosc A. 91 *offusa nox* (cf. dom. 137), Rosc. A. 80 *iudicio perfundere*; similiter dicit Hor. sat. 1, 7, 32 *Graecus Italo perfusus aceto*. His adde Ph. VI, 3 *pecunia dissipata atque effusa*, Balb. 13 *diffusa laus*, V. 3, 155 *dare, profundere* (cf. Pis. 93 etc.), Sest. 5 *confusa defensione*. Demosthenica huius g. pauca sunt: in Pant. 54 διαρρυὲν τὸ ἀργύριον, II, 10 περὶ αὐτὰ καταρρεῖ, XIX, 228 ἁμαρτία ὑπορρέουσα, (cf. XX, 49, XXIV, 177, XXII, 70); nam verbum συγχεῖν ita saepe usurpatur, ut in eo omnis translationis vis interisse videatur: XXIII, 49 πάντα συγχεῖς τἀνθρώπινα· cf. ib. 62, XXI, 173 etc. Cum verbis fundendi habent quandam cognationem verba spargendi et dissipandi — vide supra Balb. 56 et Cat. IV, 6; praeterea evolve Pomp. 31; 35; Arch. 30; Planc. 56. In Mur. 66 legitur: *si comitatem gravitati asperseris*; cf. Caecin. 17; Cael. 23. Sed de his hactenus: nunc ad verba inflammandi, ardendi, restinguendi similiaque transeamus.

In Hor. carm. 3, 21, 12 invenitur *Catonis saepe mero caluisse virtus*; Cic. habet Ph. V, 11 *calebant nundinae* (cf. V. 1, 66); in

Eur. Alc. 732 legitur *φλὸξ οἴνου*· Cic. dom. 69 dicit *flammam temporis* similiterque saepe flamma rei p., invidiae etc., in Sest. 4 *iracundia inflammata*; eodem m. hoc verbum etiam ad nomina »animus, mens, impetus, furor, invidia« saepe adhibetur. In Rab. P. 13 est: *ad innocentium periculum tempus exarserat*; idem verbum vel ardere usurpatur etiam in vocibus odio, bello, furore, studio, tribunatu, Italia, oculo, coniuratione. In V. 2, 133 reperitur: *flagrabat domus studio hominum et cupiditate* (cf. V. 4, 71; Cael. 12); similiter incendi adhibetur Pis. 15; Cluent. 44; Ph. XIII, 6; in Marc 29 invenitur: *belli civilis incendium salute patriae restinxeris*, cf. V. 5, 14 et Eur. Herc. f. 40 *φόνῳ σβέσῃ φόνον*· his adde Cic. Cluent. 137; Planc. 95; V. 3, 66. In Mil. 98 est: *cum omnes — faces invidiae subiiciantur, tamen omni sermone celebramur* (cf. ib. 33; har. r. 45; dom. 18), Ph. XI, 21 *invidiae materiam dedisse.* Aesch. Sept. 709 dicit: *ἐξέζεσεν γὰρ Οἰδίπου κατεύγματα*· Cic. prov. c. 6 *Pontum effervescentem*, Cluent. 108 *studia defervisse* (cf. Cael. 43; 77), Rosc. C. 17 *refervens falsum crimen.* Huic rationi sunt opposita: V. I, 31 *refrigerata accusatione*, Caecin. 61 *frigida, ieiuna calumnia*; cf. Ph. V, 30; V. 2, 60.

His, quae iam in sermone communi versantur, translationes a luce, splendore, verbisque lucendi et splendendi itemque a contraria ratione tenebrarum taliumque ductas adiungamus. In Cic. Sest. 60 legitur: *virtus lucet in tenebris — splendetque neque alienis sordibus obsolescit* (cf. Mil. 61; Quinct. 59 etc.); V. 1, 58 *omnia collucere furtis.* Eur. Iph T. 955 dicit *τῆς ἀληθείας τὸ φῶς*, Cic. Lig. 6 *lux libertatis et sapientiae*, Pomp. 41 *imperii splendor gentibus lucem afferre coepit* (cf. Ph. I, 4; IV, 1; Pis. 57; V. 5, 160; Rab. p. 13; l. a. II, 1; 71; Pomp. 33; Cat. IV, 11), Rab. P. 43 *nec animi aciem praestringit splendor nominis, nec mentis quasi luminibus officit altitudo gloriae* (cf. Pomp. 11; Sull. 33; 40; Arch. 14), Mur. 32 *virtus enituit* (cf. Flacc. 17; l. a. I, 21; Balb. 16); »splendor« locis paene innumerabilibus deprehenditur. — Soph. Ant. 528 dicit *νεφέλη δ' ὀφρύων*, Eur. Med. 106 *οἰμωγῆς νέφος*, Soph. El. 1246 *ἀνέφελον ἐπέβαλες οὔποτε καταλύσιμον*, Eur. Phoen. 1310 sqq. *πόλιν — πέριξ ἔχει νέφος ὥστε δι' Ἀχέροντος ἰέναι.* Dem. habet XVIII, 159 *πολύ τι σκότος παρ' ὑμῖν πρὸ τῆς ἀληθείας* et II, 20 *ἐπισκοτεῖ τούτοις τὸ κατορθοῦν*, cui loco ex parte respondet Cic. V. 3, 131 *magnitudo lucri obscuraret periculi magnitudinem*; in Pis. 20 est *frontis nebeculam*, Rosc. A. 91 *rei p. nox* (cf. har. r. 11), l. a. II, 44 *qui per cursum rectum regnum tenere non potuerunt, nunc caecis tenebris et caligine se Alexandriam perventuros arbitrati sunt?* p. r. s. 5 *ex superioris anni caligine et tenebris lucem in re p. dispicere coepistis*; cf. l. a. I, 24; V. 3, 177; Planc. 96; praeterea haec huiusce modi reperio: Rab. p. 13 *tenebris vetustatis*, p. r. s. 10 *t. ac. sordibus* (cf. Dei. 30; Vat. 13; l. a. I, 7; II, 69;

Sull. 40; prov. c. 43; dom. 116; 137), Vat. 11 *tenebricosissimum tempus aetatis*. Luculentum huius g. exemplum et eius m. ut idem viam ad sequentia praeparare videatur, est dom. 24 *si quae tum in illis rei p. tenebris caecisque nubibus et procellis, cum senatum a gubernaculis deiecisses, populum e navi exturbasses, ipse archipirata cum grege praedonum impurissimo plenissimis velis navigares, si, quae tum promulgasti, perferre potuisses, ecqui locus — vacuus extraordinariis fascibus fuisset?*

Progrediamur igitur ad eas translationes exponendas, quae a tempestate, procella, vento, a verbis flandi atque de navigandi ratione omnique re maritima ductae sunt. In Aesch. Agam. 819 invenitur: ἄτης θύελλαι ζῶσι, ib. 1309 φόνον δόμοι πνέουσιν αἱματοσταγῆ, Eur. Phoen. 454 θυμοῦ πνοάς, Soph. Ant. 391 ἀπειλαῖς — ἐχειμάσθην· Dem. XVIII, 194 dicit: ὁ συμβὰς σκηπτὸς ἢ χειμὼν μείζων ἐγένετο. Ex eod. fonte emanantium translationum plenae sunt Cic. oratt., ut Sest. 66 *conflandae pecuniae*; similiter dicitur conflare mendacium, iniuriam, crimen, invidiam, accusationem, iudicium, seditionem, negotium, sollicitudinem, periculum, tumultum, infamiam, bellum etc. l. a. II, 103 occurrit *ne quid turbulenti conflarent*, Vat. 10 *quae sunt inflata rumpantur* (cf. Mur. 33; Pis. 89), Mil. 48 *animam efflantem*, Lig. 34 *consensum conspirantem et paene conflatum*. Similiter dom. 130 *tempus tranquillum* (cf. Cluent. 153), quocum congruit Soph. El. 899 ἐν γαλήνῃ πάντ' ἐδερκόμην τόπον, Sull. 43 *turbido tempore*, Pis. 20 *in turbinibus ac fluctibus rei p*, cf. Sest. 73; 140; Cael. 59; V. I, 8; Cluent. 153; har. r. 4; Cat. IV, 4. His adde: Mur. 81 *intonuit vox*, Cluent. 96 de iudicio facto: *vis illa fuit, ruina atque tempestas*, Planc. 11 *in tempestate populi iactemur et fluctibus*, ib. 13 *iudicasti in tempestate te gubernare non posse*, Mil. 5 *ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus contionum putavi Miloni esse subeundas*; cf. Cat. II, 15; Mur. 4; 36; Pis. 89; har. r. 4; 11; prov. c. 43. His accedant: Cluent. 77 *rumorum et contionum ventos colligere* (cf. ib. 130; Sull. 41), Pis. 21 *alios ego vidi ventos: alias prospexi animo procellas: aliis tempestatibus non cessi, sed me obtuli*; V. 3, 98 *sic est ordo quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiae circumflari posse videatur*; Sest. 101 Q. Catulum *neque periculi tempestas neque honoris aura potuit umquam de suo cursu demovere*; V. 1, 35 *auram afflari voluntatis* (cf. Mur. 35); simillimum est Euripidis (Iph. A. 68) πνοαὶ Ἀφροδίτης.

In translationum de navigatione sumptarum usu summa est audacia Graecorum tragicorum inprimis Euripidis; neque tamen Cic. non item talibus magno opere abundat. Ex tragoediis haec insignia videntur: Eur. Phoen. 1238 πάντες δ' ἐπερρόθησαν, quo loco notat Scholiasta: ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ ἦχου τῶν κυμάτων· Soph. Ant. 595 πήματα

ἐπὶ πήμασι πίπτοντ', quocum conferre velim Hor. carm. 2, 18, 15 *Truditur dies dies*; Aesch. Agam. 235 στόματος καλλιπρῴρου, Soph. Ant. 158 μῆτιν ἐρέσσων, Aesch. Prom. 515 τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος. Similiter a Cic. gubernaculum et gubernare saepissime translate adhibetur, ut Sest. 20 *quis clavum tanti imperii tenere et gubernacula rei. p. tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum ex tenebris lustrorum?* dom. 130 *Tempus erat in gubernatione positum senatus*; cf. Sull. 78; Rosc. A. 51; har. r. 41; Pis. 20; Sest. 98; Ph. II, 92 etc. Et p. r. p. 2 *si nihil est magis optandum quam prospera, aequabilis perpetuaque fortuna secundo vitae sine ulla offensione cursu, tamen, si mihi tranquilla et placata omnia fuissent — paene divina voluptate caruissem*; cf. dom. 86; Sest. 47; Vat. 16; Cat. IV., 17; Ph. II, 47; V, 48; VIII, 11; Cael. 39; 72; Planc. 17; 52; 67. Verbum »cursus« primum in ea translatione adhibitum esse videtur, qua motus quidam animalium inanimis tribuuntur, deinde praecipue in navis motu significando evaluisse. Ita saepe significatio verbi translata multo usu ita in consuetudine communi inveterascit, ut rursus in alias rationes exprimendas detorqueatur, ac si unius cuiusque verbi historiam usque ad originem persequi possemus, in multis vocabulis hanc rationem per plurimos gradus ductam esse inveniremus. In Aesch. Suppl. 471 exstat λιμὴν κακῶν, Soph. Ai. 683 ἄπιστος ἑταιρείας λ., Oed. C. 148 κἀπὶ σμικροῖς μέγας ὥρμουν· huc spectant Demosthenica: XVIII, 281 οὐκ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὁρμεῖ τοῖς πολλοῖς, LVI, 44 μηδ' ἐπὶ δυοῖν ἀγκύραιν ὁρμεῖν αὐτοὺς ἐᾶτε· cf. III, 7. Cic. habet Sull. 41 *Vidi, fore ut aliquis patrimonii naufragus aliter indicata haec esse diceret, quo facilius vento aliquo in optimum quemque excitato posset in malis rei p. portum aliquem suorum malorum invenire*; cf. Ph. XII. 7; V. 5, 126; 153; Caecin. 100; Cluent. 7. In Aesch. Prom. 1015 est κακῶν τρικυμία, Pers. 599 κλύδων κακῶν, ib. 433 κακῶν πέλαγος ἔρρωγεν, Prom. 886 πρὸς κύμασιν ἄτης, Sept. 443 κυμαίνοντ' ἔπη, Soph. Ai. 350 ἴδεσθέ μ' οἷον ἄρτι κῦμα φοινίας ὑπὸ ζάλης κυκλεῖται, Oed. r. 22 πόλις σαλεύει κἀνακουφίσαι κάρα βυθῶν ἔτ' οὐχ οἵα τε φοινίου σάλου, Aesch. Choeph. 202 ἐν χειμῶσι ναυτίλων δίκην στροβούμεθ'. Dem. dicit XIX, 314 κλύδωνα καὶ μανίαν τὰ καθεστηκότα πράγμαθ' ἡγουμένων. Ciceroniana huc spectantia haec sunt: prov. c. 38 *homines ab huius ordinis coniunctione depulsi saepe ex hoc portu se in illos fluctus contulerunt. Qui si ex illa iactatione cursuque populari referunt aspectum in curiam, non repellendi sunt.* Pis. 10 *in maximo rei p. motu*, Ph. XIII, 20 *belli fluctibus circumiri*, Planc. 11 *in tempestate populi iactemur et fluctibus*; cf. har. r. 48; Sest. 7; 73; 99; Flacc. 57; Cluent. 7; Quinct. 10; Mil. 5. — Ap. Cic. de or. 3, 145 legimus: *te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit* (cf. ib. 2, 187); Cael. 74 *vellem alio potius eum cupiditas gloriae*

detulisset (quasi ventus); cf. Ph. XIII, 24; har. r. 43; dom. 32; Balb. 4; et l. a. I, 27 *honori velificari.* — Soph. dicit Ant. 189 *ταύτης ἐπὶ πλέοντες ὀρθῆς κτἑ.*, Dem. XIX, 250 *ὀρθὴ πλεύσεται.* Soph. El. 335 *ἐν κακοῖς μοι πλεῖν ὑφειμένῃ δοκεῖ* et Eur. Bacch. 546 *λόγον στειλώμεθα·* Dem. verbo *ὑποστείλασθαι* item atque *ὑπηρετεῖν* tam saepe utitur, ut in eis omnem iam translationis splendorem obsolevisse puto [95]). In Cic. Marc. 24 legitur *quassata res p.* cf. Vat. 19; Sest. 73. — In Eur. Troad. 136 reperitur: *ἐς τάνδ᾽ ἐξώκειλ᾽ ἄταν·* in simili ratione versatur Latine »scopulus«, ut Cic. Tull. 33 *mihi isti singulari ingenio videntur esse, qui et id, quod mihi contra illos datum est, ipsi adripiunt et scopulo atque saxis pro portu stationeque utuntur;* cf. Rosc. A. 79; Caecil. 36; in Sest. 18 invenitur: *ne in Scyllaeo illo aeris alieni tamquam in f r e t u ad columnam a d h a e r e s c e r e t, in tribunatus portum perfugerat.* — Soph. El. 730 habet *ναυαγίων ἱππικῶν·* etiam »naufragium« a Cic. frequentur translate ponitur: V. 5, 98 *hic opes illius civitatis comminutae depressaeque sunt: in hoc portu Atheniensium nobilitatis, imperii, gloriae naufragium factum existimatur*; Sest. 15 *necesse est — me totum superioris anni rei p. naufragium exponere, in quo colligendo ac reficienda salute communi omnia reperientur P. Sestii facta, dicta, consilia versata;* cf. Ph. II, 92; XI, 36; V. 5, 131; prov. c. 7; Pis. 9; Cat. I, 30; II, 24; Sull. 41; dom. 129; 137; etiam illud V. 1, 82 *ut huc incideres, non ut hic conquiesceres* a similitudine naufragi ad saxa allisi sumptum esse duco. — In Sest. 93 reperitur: *quotus quisque invenietur, qui optimam quamque causam rei p. amplectatur? cum sciat alterum bellum inferre quiescentibus, ut eorum veteres illibatasque divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat;* cf. Pis. 48. In ratione nandi posita sunt haec: Sull. 87 *patriam demersam extuli;* cf. Cat. II, 21; har. r. 48; Dem. IX, 25 *ἐπιπολάζει.* Longius persequitur Cic. translationem de navigatione petitam Sest 46: *cum in rei p. navem, ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum, armatae tot classes incursurae viderentur, depugnarem potius?* cf. dom. 137; Rab. p. 25; Pis. 20. Ex Dem. addendum est de cor. 296 *ἠκρωτηριασμένοι τὰς πατρίδας.*

His ea subiiciam, quae in cogitatione et similitudine oneris ferendi versantur. Atque plurima huius rei exempla ita sunt trita, ut non sint commemoranda; paulo tamen excellentiora haec esse videntur: Cat. I, 23, *vix m o l e m invidiae s u s t i n e b o* (cf. Caecil. 37; dom. 142), Caecil. 46 *quid? cum ex illius invidia d e o n e r a r e aliquid et in te traiicere coeperit?* V. 3, 138 *onerat te bonis condicionibus,*

---

[95]) evolvi possunt: I, 16, IV, 51, XIX, 156, 237, 338, XXI, 70, XXXVII, 48 etc.

l. a. II, 69 *presso Sullanis oneribus*, Rosc. A, 10 *plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram: sin deserar, tamen id, quod suscepi, quoad potero, perferam. Quod si perferre non potero, opprimi me onere officii malo quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abiicere aut propter infirmitatem animi* ***deponere*** etc.

His simillima ea sunt, quae de trutina transferuntur in alias rationes, ut Eur. Heracl. 690 *σμικρὸν τὸ σὸν σήκωμα προστίθης φίλοις*, Aesch. Agam. 439 *ταλαντοῦχος ἐν μάχῃ*, ib. 164 *πάντ᾽ ἐπισταθμώμενος*, Pers. 346 *τάλαντα βρίσας οὐκ ἰσορρόπῳ τύχῃ*. Etiam Dem. talibus utitur, ut I, 10 *συμμαχίαν ἀντίρροπον*, II, 22 *μεγάλη ῥοπὴ ἡ τύχη* (cf. XXII, 16), V. 12 *ὅταν δ᾽ ἐπὶ θάτερα ὥσπερ εἰς τρυτάνην ἀργύριον προσενέγκῃς, οἴχεται φέρον καὶ καθείλκυκε τὸν λογισμὸν ἐφ᾽ αὑτό*, ib. *οὐδὲν λῆμμ᾽ ἂν οὐδεὶς ἔχοι πρὸς οἷς ἐγὼ πεπολίτευμαι δεῖξαι προσηρτημένον·* cf. XVIII, 298; etiam illum locum XIX, 19 *ὑμᾶς λαβὼν ᾤχετο* et ib. 127 extr. de trutina tractum esse arbitror. Cic. de fin. 5, 91 dicit *aliquid quasi in altera librae lance ponere*, de or. 2, 159 *oratio multitudinis est auribus accommodanda ad ea probanda, quae non aurificis statera sed populari quadam trutina examinantur*, Planc. 79 *meis ponderibus examinabo;* cf. V. 4, 1; Rosc. A. 62; praeterea apponantur hi loci: Mur. 3 *perpendenti momenta officiorum* (cf. Font. 21), l. a. II, 80 *an ignoratis vectigalia perlevi saepe momento fortunae, inclinatione temporis pendere;* cf. Mur. 53; ib. 77 duae metiendi rationes coniunguntur: *haec ad rationem civitatis si derigas, recta sunt: sin perpendere ad disciplinae praecepta velis, reperiantur pravissima;* verba autem ponderare, expendere, compensare, deliberare aliaque id genus propter frequentem usum hic praetermittenda sunt itemque substantiva ponderis et momenti.

Cum his propinquitatis quodam vinculo contineri et cohaerere videntur haec: Dem. IX, 39 *ὅσα ἐκ τοῦ δωροδοκεῖν ἤρτηται*, IV, 12 *ἀπηρτημένοι παρασκευαῖς — γνώμαις* (cf. IX, 49, XXIII, 140); Cic. Caecin. 52 *ex verbis aptum pendere ius* (cf. V. 3, 189), V. 5, 157 *formidines impendebunt.* — Aliae formae metiendi translate adhibentur a. Dem. I, 10 *δίκαιος* *λογιστὴς* *τῶν παρὰ τῶν θεῶν ἡμῖν ὑπηργμένων τὸ πολλὰ ἀπολωλεκέναι τῆς ἡμετέρας ἀμελείας ἂν θείη* (cf. de cor. 193, 299), a Cic. de opt. gen. or. 23: *quorum orationes si ita expressero, verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro — erit* ***regula***, *ad quam eorum dirigantur orationes, qui Attice volent dicere;* cf. Dem. XVIII, 296.

His talia adiungere liceat: V. 5, 181 *haec est nostrae rationis regio et via*, l. a. II, 97 *vix facile sese regionibus officii magnis in fortunis et copiis continet*, Rosc. C. 46 *qui semel a veritate deflexit,*

V. 3, 2 *ab religione officii declinarit* (cf. Cluent. 106); Dem. I, 13 *ἀπέκλινεν*, XVIII, 15 *ἐκστὰς τὴς ὀρθῆς ὁδοῦ κτἀ.*, cf. XXII, 26, III, 11, XVIII, 322, XXIV, 7, 38, 106, 153; quam tritus aqud hunc oratorem hic usus iam fuerit, cum aliis declaratur exemplis tum hoc XIV, 23 *ἐὰν ταῦθ᾽ οὕτως εἰς ὁδὸν καταστῇ.* Cic. dicit in V, 1, 120 *redite in memoriam* (cf. Halmii notam), Ph. III, 28 *in possessione libertatis pedem ponimus*, Cat. II, 14 *ingressum in bellum*, Sest. 141 *in gloria insistentes*, Flacc. 105 *quem posthac tam amentum fore putatis, qui non illam viam vitae, quam ante praecipitem et lubricam esse ducebat, huic planae et stabili praeponendam esse arbitretur?* cf. Cael. 41; Rab. p. 3; Ph. I, 33; V. 3, 157; Cat. IV, 9; Mur. 47. — In V. 5, 21 invenitur: *relinquo haec, quae si velim persequi, facile ostendam tua crudelitate omnes tibi aditus misericordiae iudicum esse praeclusos*; V, 4, 8 *haec ad omnia defensio patefieri videtur: emisse;* V, 1, 17 *aperto suspicionis introitu ad omnia intima consilia sine errore pervenimus;* cf. Planc. 8; Mur. 33; V. 2, 50. Frequentissime a gradus similitudine translationes ducuntur; cuius rei insigniora tantum exempla hic ponantur: har. r. 43 *P. Clodio gradus ad rem p. hic primus est aditus ad popularem iactationem atque adscensus*, V. 2, 3 *in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est*, dom. 98 *praecipitari ex altissimo dignitatis gradu;* cf. Balb. 40; l. a. II, 38; Dei. 27; dom. 75; etc. — In V, I, 20 legitur: *omnia in unius potestate ac moderatione* (quasi cardine) *vertentur*, cf. V. 5, 133. — V. 5, 39 occurrit: *numquam tibi venit in mentem, non tibi idcirco fasces et secures datas, ut omnia repagula pudoris officiique perfringeres, ut — nullius domus clausa, nullius vita saepta, nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem posset esse* (cf. Caecin. 75 etc.), in Mur. 17 Cic. se claustra nobilitatis refregisse dicit, ut aditus ad consulatum virtuti pateret; cf. V. 5, 84; l. a. I, 21; II, 87; Flacc. 30. In Ph. VII, 2 dicitur *reserare Italiam* et V. 5, 170 *in vestibulo Siciliae.* — In Rosc. A. 132 habet: *nonne quivis potest intelligere, omnium architectum et machinatorem esse Chrysogonum?* similiter a Dem. *ἀρχιτέκτονι τῆς ὅλης ἐπιβουλῆς* dicitur LVI, 11 (cf. XL, 32 et in Phorm. 48 *τεκταινομένοις*); III, 2 habet D. *τὴν ἀρχὴν ὀρθῶς ὑποθέσθαι* ap. Cic. creberrime »fundamentum« in translatione versatur, ut in l. a. II, 80 ager Campanus fundus pulcherrimus populi R., fundamentum vectigalium, horreum legionum appellatur; in Sest. 5 lego *quibus fundamentis laudes excitatae sint;* cf. Pis. 9; Cael. 30 etc. Praeterea affero dom. 96 *fundatissimae familiae ruinas*, in Rosc. A. 134 Roscii domus *officina nequitiae et deversorium flagitiorum omnium* appellatur; in Ph. II, 35 dicitur: Antonii *domi quaestuosissima est chirographorum officina*, Rosc. C. 51 *fraudis deverticulum.* — Ex eis, quae talibus operibus hominum manu effectis accidere solent, haec addamus: Sest. 99 *magna multitudo est eorum, qui communi incendio malint quam suo deflagrare* (cf. Cat. IV, 12); prov. c. 43 *ruina*

atque incendium civitatis (cf. Planc. 95), Cael. 70 *fumantes reliquias coniurationis,* Pis. 16 *intermortuis Catilinae reliquiis.* Verba quaedam ut cadere, concidere, praecipitare, convellere, evertere, affligere, labefactare, concutere, fulcire plerumque iam omnem translationis venustatem crebro usu amiserunt; exempla sunt haec: V. 5, 12 *ruere rem p.* (cf. Sull. 1), dom. 38 *tribunatum concidisse*, Pis. 4 rei p. *statum convulsuri* (cf. Rab. p 3), Sest. 5 *in ruinis eversae atque afflictae rei p.*, har. r. 60 *haec, si undique fulciamus iam labefacta, vix nixa in omnium nostrum humeris cohaerebunt;* cf. Ph. II, 51; Balb. 35 etc. et Ph. VII, 21 *coagmentari pacem.* — His ex eadem regione ea adiungam, quae quasi gradum facere videntur ad sequens e re bellica haustarum translationum genus. Dem. dicit XXI, 138: *τὸ ἐπ᾽ ἐξουσίας καὶ πλούτου πονηρὸν εἶναι καὶ ὑβριστὴν τεῖχός ἐστι πρὸς τὸ μηδὲν ἂν αὐτὸν ἐξ ἐπιδρομῆς παθεῖν, ἐπεὶ περιαιρεθεὶς οὗτος τὰ ὄντα ἴσως οὐκ ἂν ὑβρίζοι·* et XV, 12 (*Ῥόδον*) *τῆς* (*Ἀρτεμισίας*) *ἀρχῆς ἐπιτείχισμα πρὸς τὸ μηδ᾽ ὁτιοῦν παρακινεῖν.* Similiter a Cic. Ph. V, 37 Alpes murus, Pis. 81 vallum appellantur, Pis. 11 templum Castoris *arx civium perditorum,* Ph. X, 9 Graecia *agger oppugnandae Italiae;* in Pis. 9 occurrit: *lex Aelia et Fufia eversa est, propugnacula murique tranquillitatis;* Caecil. 18 *hanc habent arcem* (legem socialem) *minus aliquanto nunc quidem munitam, verum tamen, si qua reliqua spes est —, in hac lege posita est: cuius iam pridem severi custodes requiruntur;* cf. Tull. 49; Rosc. C. 43; l. a. II, 3; har. r. 34; Rab. p. 10; dom. 80. Sed iam ingressi sumus in eas translationes, quae a pugna et ab omni re militari repetitae videntur.

Atque in hoc g. haud scio an Cic. frequentior sit quam in ullo alio; nec mirum, cum eius populi quasi personam sustinere videatur, qui ob hanc ipsam rationem omnium gentium princeps et victor exstitit; huc accedit, quod causae et lites maxime in similitudine pugnae versantur. Ac bellum de accusatione usurpatur Caecil. 62: *fatearis necesse est, te illi impium bellum inferre conari;* Mur. 19 sq. Servii urbana militia respondendi, scribendi, cavendi confertur cum vera militia et stipendiis Murenae; in l. a. I, 1 est: *res aperte petebatur — cuniculis oppugnatur;* cf. Mur. 8. In Ph. XII, 24 dicit Cic.: *haec mea sedes est, haec vigilia, haec custodia, hoc praesidium stativum;* Rab. p. 3 *est boni consulis, cum auxilia rei p. labefactari convellique videat, ferre opem patriae, succurrere fortunis communibus, est fortium virorum munire praesidia rei p.*; Cluent. 156 *mihi in arce legis praesidia constituere defensionis non licet;* cf. V. I, 46; 1, 67; 5, 34; Font. 13; l. a. II, 75; Mur. 79; Planc. 90; Dei. 22; Ph. I, 1; VII, 19 etc.; huc etiam illud Horatianum spectat (epist. 1, 16, 67) *perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui semper in augenda festinat et obruitur re;* in Eur. Jo. 218 est *μεθῆκα τόξα*, cui conferam ex Cic. Mur. 45 *abiecit hastas;* in l. a. II, 3 invenitur: *eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce*

rescidistis virtutique in posterum patere voluistis; cf. p. r. p. 7; Rosc. A. 23; 147; de or. 2, 303 de eis, qui non fugiunt, quae causam valde premunt, dicitur: *versantur in hostium castris ac sua praesidia dimittunt*, in V. 5, 29 cum irrisione de Verre, quem, quia bonus imperator esset, Hortensius ex iudicio eripere conabatur: *stativa sibi castra faciebat* (cf. ib. 31; 96) et ib. 104 *illud contubernium muliebris militiae in illo delicatissimo litore*; cf. Sull. 34; in V. 4, 40 reperitur: *castra commoverat et vasa collegerat*; Quinct. 93 *ab amicitia transfugere*; Marc. 2 *omnibus ad bene de re p. sperandum quasi signum aliquod sustulisti*; V. 2, 77 *necesse est sit in eius exercitu signifer, qui imperium iudiciorum tenere vult.* Ut ap. Cic. »locus, praesidium, vigilia, castra« etc. in re militari usurpantur, ita a Dem. aliisque Graecis saepe *τάξις* adhibetur. In XV, 32 sq. legitur: *ταύτην τὴν τάξιν αἱρεῖσθαι τῆς πολιτείας — ἐχρῆν τὴν αὐτὴν ἔχειν διάνοιαν ὑμᾶς περὶ τῆς ἐν τῇ πολιτείᾳ τάξεως, ἥνπερ περὶ τῆς ἐν ταῖς στρατείαις ἔχετε. τίς οὖν ἐστιν αὕτη; ὑμεῖς τὸν λείποντα τὴν ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ τάξιν ταχθεῖσαν ἄτιμον οἴεσθε προσήκειν εἶναι κτὰ.* cf. de cor. 62.

In Cic. Sull. 49 exstat: *honos agebatur — erat huic iudicio longe dissimilis illa contentio: tum, afflicto P. Sulla, consulatus vobis pariebatur; honoris erat certamen: ereptum repetere vos clamitabatis, ut victi in campo in foro vinceretis: tum qui contra vos pro huius salute pugnabant, honori vestro repugnabant. Ego vero cui dignitati vestrae repugno?* (cf. Cluent. 36; 116; Sest. 60; Font. 46; V. 1, 44; 74; 2, 74; 130; Flacc. 50 etc.); Sull. 47 *nondum statuo te virium satis habere, ut ego tecum luctari et congredi debeam*; Font. 44 *infestis prope signis inferuntur*; Rosc. A. 21 *in fortunas impetum facit*; cf. V. 1, 90; similiter etiam verba invadere, irrumperre, irruere aliaque id genus in frequenti usu sunt. Etiam quae victis accidere solebant, translate dicuntur: V. 1, 157 *qui ex calamitate senatoris spolia domum suam referre et manubias detrahere conatus sit, is ullam ab sese calamitatem poterit deprecari* (cf. Rosc. A. 8; V. 1, 21; Sull. 79; Flacc. 92 etc.)? etiam talia huc relata velim: Quinct. 50 *ad reliquias vitae lacerandas et distrahendas*; V. 2, 115 *tropaeum necessitudinis.*

Age vero iam explicemus eam translationum copiam, quae de variis et armorum et pugnandi generibus ducuntur, ut Mil. 70 *versiculo armati* (cf. Planc. 45; l. a. II, 101 etc.), Quinct. 45 *depositis armis disceptare*, har. r. 7 *cogitet, si quod in me telum intenderit, statim me esse arrepturum arma iudiciorum atque legum*; cf. Cluent. 52. In hoc g. etiam tragici Graecorum creberrimi sunt: Soph. Oed. r. 170 *οὐδ᾽ ἔνι φροντίδος ἔγχος*. Ai. 154 *τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς οὐκ ἂν ἁμάρτοις*, Aesch. Suppl. 446 *γλῶσσα τοξεύσασα μὴ τὰ καίρια*, Soph. Oed. r. 892 *θυμοῦ βέλη*, Ant. 359 *δύσομβρα β.*, Aesch. Agam. 742 *ὀμμάτων βέλος*, Eur. Suppl. 728 *ὦ κενοὶ βροτῶν, οἱ τόξον ἐκτείνοντες ὡς καιροῦ πέρα κτά.* Ap. Cic. praeterea sunt: Rosc. C.

25 *crimen aut obiice, ubi licet agere, aut iacere noli*; cui respondet ib. 17: *potest hoc homini huic haerere peccatum*; et Planc. 30 *iacis adulteria*, har. r. 39 *deorum tela in impiorum mentibus figuntur*; cf. ib. 2, 47; Pis. 43; Ph. XIII, 19; Quinct. 52; Sest. 40; Mur. 73; Cluent. 50; Cat. IV, 14; Sull. 23; Flacc. 6; 35. Longius haec ratio ducitur in talibus: Quinct. 8 *Ita fit, ut ego, qui tela depellere et vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum adversarius nullum iecerit, illis autem id tempus impugnandi detur, cum et vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit et, si qua in re falsum crimen quasi venenatum aliquod telum iecerint, medicinae faciendae locus non erit*; Vat. 13 *mea tela sic in te coniicientur, ut nemo per tuum latus saucietur: in tuis pulmonibus haerebunt* (cf. Cael. 20); Quinct 47 *minae iactentur, pericula intendantur* etc. cf. Sest. 15 etc. In Sest. 133 habet Cic.: *neque putari, cum omnibus machinis ac tormentis oppugnarer, de uno sagittario me queri convenire.*

Ex generibus porro vulnerandi haec inveniuntur; har. r. 8 *confixum senati consultis* (cf. Ph. XII, 18), Ph. XII, 11 *iudiciis ignominiisque concisus* (cf. ib. V, 28), Mur. 50 *integrorum* (cf. Arch. 9 *incolumis*) *promissis saucios credere non oportere*, Dei. 17 *suspicione percussus* (cf. Mur. 49; V. 4, 75), Cael. 42 *ne faenore trucidetur*, p. r. s. 17 *consulari ictu concidissem* (l. a. II, 8), p. r. p. 15 *confectum consularibus vulneribus*, V. 2, 177 *omnium tela excipiat necesse est*, Sull. 73 *accepit vulnus mortiferum* (cf. Mil. 99; Cat. I, 9; Pomp. 66; Phil. XII, 1), Ph. II, 52 *tibi vulnus inflictum est*; cf. Pis. 63; dom. 64; 76; splendidiora sunt: har. r. 2 *potest gravioribus a me verbis vulnerari quam est a P. Servilio confectus ac trucidatus? — non dubito, quin ea tela, quae coniecerit inimicus, quam ea quae collega patris emisit, leviora atque hebetiora esse videantur*; dom. 63 *impetum discordiarum excepi meo corpore. In me uno consulares faces — in me omnia, quae rettuderam, coniurationis nefaria tela adhaeserunt.*

Postremo ea ponam exempla, in quibus translatio mixta ex variis huius g. formis longius deducitur. Atque in V. 3, 40 invenitur: *vincam, si prius illud propugnaculum, quo contra omnes impetus usurum se putat, ex defensione deiecero*; eiusd. g. esse videtur Demosthenis XLV, 69 πρόβλημα τοῦ τρόπου τὸ σχῆμα (cf. etiam Cic. Pis. 9); Caecin. 82 sqq. *Aut tuo, quem ad modum dicitur, gladio aut nostro defensio tua conficiatur necesse est. Si ad interdicti sententiam confugis — neque aequitatem rei verbi laqueo capi putas oportere, in meis castris praesidiisque versaris: mea est ista defensio —. Sin hunc locum fugis et me ex hoc, ut ita dicam, campo aequitatis ad istas verborum angustias et ad omnes litterarum angulos revocas, in iis ipsis intercludere insidiis, quas mihi conaris opponere. »Non deieci, sed reieci«. Peracutum hoc tibi videtur; hic est mucro defensionis*

tuae. In eum ipsum causa tua incurrat necesse est; cf. V. 5, 33 cum Halmii nota.

Ab his bellicis metaphoris non multum abhorrent eae translationes, quae a variis certaminum generibus ducuntur. Ipsa illa verba, »certamen et certare« vix iam consideranda sunt; nam quid magis vulgare est quam talia: Cat. II, 18 *certare cum usuris*; cf. V. 1, 3. Etiam curriculum in multis dictionibus pro verbo proprio accipitur neque pro certo confirmaverim, hanc vim adhuc vigere in hoc exemplo: V. 2, 179 *si ne minimum quidem de meo curriculo vitae decessero;* in libro de or. 1, 1 lego: *decursu honorum aetatis flexu ambitionis occupatio constiterat;* similiter Cael. 75: *in hoc flexu aetatis fama adulescentis haesit ad metas*; cf. Mur. 46 etc. His accedant: V, 2, 177 *placet mihi ista defensio, descendo; aequa enim contentio, aequum certamen proponitur* (cf. Quinct. 73; Mur. 18; Ph. XIV, 17); Quinct. 36 *extra cancellos egredi* (cf. V. 3, 135); Rosc. A. 112 *recede de medio.* Cum irrisione et ambiguitate dicitur V. 2, 54 *palaestritas defendebat, ut ipse unctior abiret.*

Etiam de ludo gladiatorio multae translationes sumuntur. In Cael. haec ratio per plures paragraphos ducitur (44—48): *certamen — pugnandum certandumque — opprimet consilio — artificio pervertet — labefactare — petitiones — elusurus — iactaturus — optionem facturus, ut eligas utrum velis — transigere — motu corporis praestringat aciem ingenii — prolusione — ipsa pugna tironem;* cf. ib. 24; V. I, 30 etc.; in Cat. I, 15 exstat: *quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi* (cf. Cluent. 148 *periculi declinatio*), V. 5, 181 *si oculos deiecerimus, praesto esse insidias: si ullum locum aperuerimus suspicioni, vulnus accipiendum esse* etc. cui simile est illud Horatii (sat. 1, 3, 59) *nullique malo latus obdit apertum;* Rosc. A. 118 *num aut ille lanista omnino iam a gladio recessisse videtur aut hic discipulus magistro tantulum de arte concedere*; cf. ib. 84; 100; 119. Praeterea huc coniicienda sunt Sest. 78 *saginantur*, dom. 70 *par illud simile* (cf. Pis. 27), Cat. II, 1 *loco ille motus est* etc. Dem. habet IX, 5 *οὐδὲ κεκίνησθε*, XVIII, 7 *τὰς διαβολὰς παρελθεῖν*, quae dictio a cursu in stadio sumpta est; praetera strictim addamus VI, 5 *ἀντᾶραι*, III, 28 *ἠσκήκαμεν*, XVIII, 97 *τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα*, ib. 138 *τὸν λέγοντα ὑποσκελίζειν*, XV, 31 *ἀκονιτί*, XLV, 58 *κακῷ πληγείς*, III, 27 *βραβεύειν*, V, 15 *ἐφεδρεύων καθεδεῖται* (cf. VIII, 42), IV, 5 *τὰ χωρία ἆθλα κείμενα ἐν μέσῳ*, XV, 30 sq. *ἀγὼν κτά.*

Etiam a re scenica multae petuntur translationes; Romani quoque ut nos ea, quae in publico fiebant, per eandem similitudinem in scaena agi dicebant, id quod apparet ex Cic. Planc. 29 *omitto illa, quae si minus in scaena sunt, at certe cum sunt prolata, laudantur*; similiter Rab. P. 42 *virtutes maioribus quasi theatris propositae;* cf. V. 5, 35;

in prov. c. 14 dicit: *iam in exostra helluatur, antea post siparium solebat.* In verbis »partes et persona« haec ratio tum demum sentitur, cum longius texitur, ut Ph. VIII, 13 *primas civium P. Nasicae dare solebat*, Mur. 6 *partes lenitatis, quos me natura ipsa docuit, semper egi libenter: severitatis personam ab re p. impositam sustinui;* cf. Caecil. 48 sq.; praeterea Rosc. A. 95 partes deposcere, Sull. 8 personam detrahere, dom. 134 mutam in delicto personam praebere, Quinct. 45 petitoris personam capere, accusatoris deponere, Ph. II, 65 *persona de mimo, modo egens, repente dives.* Etiam talia usurpantur: Ph. V, 15 *comissationis Antonianae chorum*, V. 1, 76 *spectaculum*, ib. 4, 49 *hic tamquam festivum acroama, ne sine corollario discederet, convivis spectantibus emblemata evellenda curavit* (cf. 3, 118), ib. 2, 18 *in quarto actu improbitatis* (cf. 1, 32), Cluent. 86 *te illud, quod explosum et eiectum est, rettulisse demiror*, Cael. 65 *mimi est exitus, non fabulae* etc. Praeterea vide Mil. 18 *tragoedias;* cf. Dem. de cor. 13 et XIX, 189 et XVIII, 15 *ὑποκρίνεται* (cf. XIX, 250), et XIX, 216 *Φιλίππῳ χορηγῷ χρώμενος*· etiam IX, 60 et XXIX 28 evolvi possunt.

Accedunt his aliquae translationes, quae ex artibus fingendi, pingendi, similibus hauriuntur. Cic. scribit de or. 3, 101: *habeat summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur;* Rosc. A. 74 *vitam depinxeris*, dom. 80 *auctorem adumbrare* etc., Sest. 30 *imaginem iudiciorum aut simulacrum* (cf. ib. 19 etc.), Cael. 12 *habuit permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum*, Quinct. 34 *informata causa*, Ph. XI, 6 *imaginem Antonii crudelitatis in Dolabella cernitis: ex hoc illa efficta est, ab hoc Dolabellae scelerum praecepta sunt tradita* (cf. Rosc. A. 47), Ph. IX, 12 *nullum monumentum clarius Sulpicius relinquere potuit quam effigiem morum suorum filium;* cf. Arch. 30; alius g. hoc est: Planc. 29 *indicia solida et expressa, signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis;* cf. Sest. 17; Ph. XI, 38; Cat. I, 13; Pis. 30 etc. Ap. Dem. reperitur p. Phorm. 16 *αἰτίας συμπλάσας*, ib. 33 *τοῦτο πλάσμα καὶ σκευώρημα ὅλον* (cf. XLV, 29 et 68), XVIII, 231 *φιλανθρωπίαν περιβαλλόμενος ἐπλάττετο*· sed verbum *πλάττειν* ita saepe occurrit, ut ob hoc ipsum hinc reiiciendum sit; id tamen addere liceat, talia a Dem. fere adhiberi ad fraudem et fallaciam exprimendam.

Cic. scribit de or. 2, 54 *Caelius neque distinxit historiam varietate locorum neque verborum collocatione perpolivit illud opus; sed sicut potuit, dolavit;* eodem m. dicitur in Balb. 17 *quasi perpoliendi quendam operis extremum laborem;* cf. ib. 50; Sest. 92; prov. c. 34; in Planc. 22 autem legitur: *Laudanda est vicinitas non infuscata malevolentia, non fucosa, non fallax, non erudita artificio simulationis vel suburbano vel etiam urbano;* cf. Mur. 26. Idem de or. 3, 226: *ea tela texitur et ea incitatur in civitate ratio vivendi, ut eorum*

civium, quos nostri patres non tulerunt, iam similes habere cupiamus; praeterea eadem texendi translatio occurrit: in part. 12 incredibilia probabilibus intexere, de or. 2, 158 detexta prope retexere, 2, 145 *pertexe, quod exorsus es*, V. 2, 63 praeturam ret., Cael. 18 carmen cont. (cf. Dei. 19), Pis. 56 praet. cupiditatem triumphi; Dem. habet XIX, 43 *ταῦτ' ἐσπαθᾶτο·* praeterea huc coniiciamus XLV, 19 *προκλήσει χρησάμενοι παραπετάσματι*, Rhes. 705 *πένθος τολυπεύσας*, Cic. V. 3, 109 *pensum exigendum*. Dem. XIX, 13 dicit *πεπρακὼς ἑαυτόν*, quod ab Hermog. (Sp. II, 277 et 292) inter duras et asperas metaphoras reponitur; VI, 10 *ἀνταλλάξασθαι μηδεμιᾶς χάριτος τὴν εἰς τοὺς Ἕλληνας εὔνοιαν·* ap. Cic. est Ph. II, 35 *oppidorum — nundinae*; cf. ib. 92; V. 1, 119; 2, 122. In Aesch. Agam. 867 invenitur *ὠχετεύετο φάτις*, Eur. Bacch. 407 *τοῦτ' αὖ παρωχέτευσας εὖ.* Cic. dicit Ph. XI, 22 *partem in Asiam derivare curae* (cf. Mil. 29; V. 1, 139; 2, 49); Dem. XLV, 29 *διορύξαι πράγματα*, cf. IX, 28.

His mixta quaedam ex variis hominum actionibus et operibus vel rerum rationibus profecta adiungamus. In Pis. 22 legitur *fortunae rotam*, Caecin. 17 *ansam controversiarum* (cf. Planc. 84; Sest. 22), Cat. II, 9 *instrumenta virtutis*, l. a. II, 9 *patrocinium consulatus*, Font. 43 *inserite oculos in curiam*, Ph. XI, 13 *se exserere aere alieno*, Mur. 49 *domi conditus consulatus*, Cluent. 139 *auctoritates consignatas*, Arch. 9 *tabularum fidem resignasset*, V. 5, 53 *trabali clavo figeret*, V. 3, 119 *vilicum*, 2, 7 *suburbanitas provinciae*, Caecil. 50 *hospes recipiendus*, Mur. 22 *tutela bellicae virtutis*, V. 1, 131 *negotium in sinum delatum*, Pis. fr. X. *cognatio serraco advehatur*, Mur. 30 *proeliis promulgatis*, ib. 26 *in manibus iactata et excussa* (de cribro?) *inanissima prudentiae reperta sunt*, p. r. s. 23 *amicitias igni perspectas*, Mur. 25 *enuntiatis mysteriis*, cui respondet Demosthenicum IV, 25 *ἐπόπτας·* de cor. 62 *συνισταμένου καὶ φυομένου κακοῦ*, quod Rhedantzius de similitudine tempestatis orientis sumptum esse dicit; quod si verum est, *φύεσθαι* hic dupliciter translatum est; cf. praeterea in Nausim. 6 *ἕρμαιον*, XV, 4 *σύμβολον τῆς σωτηρίας*, XXI, 166 *πεντηκοστήν*, XV, 35 *ἀναθεῖναι*, XXI, 112 *τἀδικήματα — ἕωλα — ψυχρὰ — πρόσφατος κρίνεται*, IV, 44 *τὰ σαθρὰ τῶν πραγμάτων;* XXIV, 139 *ἐν βρόχῳ τὸν τράχηλον ἔχων νομοθετεῖ*, IX, 51 *ἐκτραχηλισθῆναι*, XXIII, 123 *τὴν ἑκάστου σωτηρίαν δορυφοροῦντες*, XXI, 101 *ἔρανον — φορὰς — πληρωτὴς* (cf. ib. 184), XIX, 167 *ἡμᾶς διεκωδώνιζεν*, XXI, 99 *τῇ ῥύμῃ τῆς ὀργῆς*, XXIV, 213 *νόμους — νόμισμα τῆς πόλεως*, XVIII, 242 *παράσημος ῥήτωρ*, IV, 24 *παρακύψαντα*, IX, 22 *περικόπτειν καὶ λωποδυτεῖν*, XIX, 295 *ἐτύρευε*, XIV, 12 *ῥαψῳδήσουσιν*, XXI, 115 *εἴ γ' εἶχε στιγμὴν ἢ σκιὰν τούτων.*

In Aesch. Prom. 311 dicitur: *τεθηγμένους λόγους ῥίψεις*, Agam. 1535 *δίκην δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει βλάβης πρὸς ἄλλαις θηγάναισι Μοῖρα*, Soph. Ai. 584 *γλῶσσα τεθηγμένη·* confer cum his

haec Ciceroniana: Rosc. A 6 *hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis, postulat* (cf. ib. 60; Cluent. 76; har. r. 11; l. a. III, 6), Lig. 10 *te acuit* (cf. Ph. II, 42), Ph. XII, 3 *praestrinxerat aciem animi D. Bruti salus* (cf. Cat. I, 4; Caecil. 46), Planc. 66 *sensi populi R. aures hebetiores, oculos autem esse acres atque acutos*, Cael. 12 *industriae stimuli* (cf. Arch. 29), V. 1, 20 *spem praeciderem* etc. prov. c. 43 *tempus ex animo excidere.* Sed haec iam similitudinem earum translationum attingunt, quae de re rustica et agricultura sumpta sunt, quas nunc breviter expositurus sum.

In universum de hoc g. praemonendum videtur, Romanos talibus valde delectatos esse, quippe qui praesertim antiquiore aetate agri colendi studium summo in honore habuerint. Cic. habet de or. 2, 131 *subacto ingenio opus est*, et part. 80 *sunt quidam animi habitus ad virtutem quasi praeculti et praeparati.* Sed ut ordinem abruptum repetamus, ib. 15 invenitur: *narrationes amputandae, quae laedunt*, ib. 44 *accidere oportet singula: sic universa frangentur*, Hor. de art. p. 447: *ambitiosa recidet*, carm. 3, 24, 34 *si non supplicio culpa reciditur, quid leges sine moribus vanae proficiunt?* Cic. V. 3, 208: *vultis istorum audacias et libidines aliqua ex parte resecare*; Cael. 76 *studia in adolescentia tamquam in herbis significant, quae virtutis maturitas et quantae fruges industriae sint futurae — amputanda plura sunt illi aetati, si quidem efflorescit ingenii laudibus, quam inserenda*; omnino haec. or. Caeliana plena est translationum ex hoc fonte haustarum; idem in prov. c. 34 habet: *impolitae res et acerbae si erunt relictae, quamquam sunt accisae, tamen efferent se aliquando et ad renovandum bellum revirescent* (cf. har. r. 48); Sull. 64 *legis acerbitatem mitigandam putavit* etc. — In Aesch. Prom. 365 legitur: *ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο*, Cic. Ph. IV, 13 *virtus est una altissimis defixa radicibus*; Cael. 14 Catilinae immanitas quibusdam facilitatis et patientiae radicibus nixa esse dicitur; cf. dom. 34; l. a. II, 66; Mil. 68. Etiam haec in eadem versantur cogitatione: V. 5, 139 *causa innata — in animo sensuque affixa atque i n s i t a*, Cluent. 4 *e v e l l a m ex animis opinionem tam penitus insitam, tam vetustam* (cf. Sull. 83; har. r. 55 etc.), Tusc. 3, 13 *non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere.* Commemoratur porro p. r. s. 1 *ubertas ingenii*, V. 2, 30 *quaestus uberes*, Hor. carm. 3, 6, 17 *fecunda culpae saecula*, Cic. har. r. 42 quaestus fecundus uberque, Flacc. 81 opima accusatio (cf. Rosc. A. 8; Arch. 26), Cael. 39 robur animi, indoles virtutis; cf. Ph. X, 16; II, 63; V, 31; et Cat. III, 26 *memoria vestra res nostrae alentur, sermonibus crescent, litterarum monumentis inveterascent et corroborabuntur.* In Ph. XII, 13 dicitur *bellum propagare*; sed hoc verbum iam paene omnem huius tropi colorem amisisse videtur. — Maxime vero verborum florendi usus pervagatus est; etiam apud Graecos tragoediarum scriptores paene innumerabilia exempla deprehenduntr; quorum aliqua suavissima hic ponere libet: Aesch. Suppl.

663 ἥβας δ' ἄνθος ἄδρεπτον ἔστω, Agam. 659 ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς (quod simul ὀξύμωρον quoddam est), Pers. 821 ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος, Eur. Phoen. 811 ἔρις θάλλει, Soph. Phil. 258 νόσος τέθηλε, Ai. 714 πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει, Oed. C. 610 φθίνει μὲν ἰσχὺς γῆς, φθίνει δὲ σώματος, θνήσκει δὲ πίστις, βλαστάνει δ' ἀπιστία. Ap. Dem. unum huius g. exemplum investigare potui II, 10 τὰ τοιαῦτα εἰς βραχὺν χρόνον σφόδρα ἤνθησεν. Cic. dicit in Sest. 119 *non sum tam insolens in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper et omnes undique flosculos carpam atque delibem*; Balb. 15 *florem dignitatis infringere* (cf. Cael. 9), Cael. 44 *amores deflorescunt*, Marc. 11 *lenitas animi florescet*; sed ineptum est de rebus tam tritis plura dicere. Nec minus usitatae sunt tales metaphorae: Planc. 92 *res vero ipsa p., si loqui posset, ageret mecum ut, quoniam fructus ex sese non laetos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tulissem, iam consulerem meis* (cf. Cael. 80); V. 4, 80 *non praecerpo fructum officii*; cf. Marc. 7 etc. Dem habet de cor. 231 φιλανθρωπίας καρποὺς κεκόμισθε· cf. ib. 309 etc.; in Cic. Cael. 76 legitur *virtutis maturitas*; cf. Sest. 84 etc. Ex. Dem. etiam addendum est XXIV, 154 οὐδὲ σπέρμα δεῖ καταβάλλειν ἐν τῇ πόλει τοιούτων πραγμάτων κτέ.

Nunc ad illa aggrediamur exempla huius g. explicanda, in quibus ea, quae de homine ipso eiusque actionibus proprie dici solent, translate adhibentur. Atque a sensuum actionibus sumuntur talia: Cluent. 72 *aliquid speculae degustarant* (cf. Pis. 58; dom. 25; Ph. II, 115), Arch. 24 *dulcedine gloriae* (cf. V. 5, 66; 163; etc.); Ph. XII, 26 *acerbitas morum* etc.; ib. V, 49 *qui sensum verae gloriae ceperit*; non multum ab his abhorret Cael. 28: *multos vidi, non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitae et extremis, ut dicitur, digitis attigissent, sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent.* In Rosc. C. 20 invenitur: *caput et supercilia olere malitiam — videntur* (cf. Cael. 47), l. a. II, 11 *nummum olfecerint*, V. 5, 160 *luce libertatis et odore legum recreatus*; cf. Cluent. 73. Hic ex altera parte respondent talia: Cic. Mur. 66 *si illius comitatem et facilitatem tuae gravitati asperseris, ista erunt certe condita iucundius*; in har. r. 55 est: *iustitium concoctum*; cf. Ph. II, 44; Rosc. C. 45. His adde: Ph. VI, 17 *paucorum dierum molestiam devorate*, V. 3, 177 *lucra ligurientem — devorare pecuniam* (cf. dom. 47; Flacc. 57; Pis. 48; 90; Ph. XIII, 3; Sest. 23), Mur. 19 *multorum difficultatem exsorbuit*; a Dem. de cor. 139 Aeschines ἰαμβειοφάγος appellatur. Accedunt his Cic. Sest. 71 *respirasse homines*, Cluent. 84 *cum faucibus premeretur*, Planc. 13 *sitientem virtutis*, Cat. II, 1 *scelus anhelantem*, Quinct. 27 *imbiberit perducere* (cf. V. I, 42), Quinct. 40 *adesa pecunia*, Planc. 20 *hominibus saturatis honoribus*, V. 2, 136 *voluptatum reliquias colligebat*, Ph. V, 20 *orationem evomuit*; cf. Pis. 90; Mil. 78. In verbo »praeripere« iam omnem metaphorae vim exstinctam esse puto

itemque in talibus Lig. 14 *humanitatem exuisses.* Praeterea huc spectare videntur Ph. II, 30 *causae indormientem*, V. 5, 38 *si forte te expergefacere posses* (cf. Pis. 10), quibus respondent haec Demosthenica: XIX, 303 *καθεύδειν*, 305 *ἐγείρεται*; cf. VI, 19 etc.; praeterea addenda sunt II, 23 *καθήμεθα*, IX, 20 *τετυφῶσθαι* (cf. XVIII, 11, XIX, 219), III, 22 *προπέποται πράγματα* (cf. XVIII, 296), IV, 49 *μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων — ὀνειροπολεῖν* (cf. XIII, 114), XXII, 62 *ἐπαρφόνησεν.*

In Cic. Mil. 25 legitur *convalescebat*; ita saepe ea, quae corpori eiusque partibus accidunt imprimisque morbi, translate adhibentur; ut in Cat. I, 31 est: *scelerum maturitas erupit*, Sull. 67 *furorem conceptum erupisse* (cf. dom. 63; har. r. 4), quae de tuberibus et ulceribus repetita esse arbitror; idem est Dei. 8 *fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret*; cf. dom. 12 et 28. Similiter dicitur in Soph. Oed. r. 1396 *κάλλος κακῶν ὕπουλον* et Dem. de cor. 307 *ἡσυχίαν ἄδικον καὶ ὕπουλον·* ib. III, 31 *ὑμεῖς ὁ δῆμος ἐκνενευρισμένοι καὶ περιῃρημένοι χρήματα ἐν ὑπηρέτου μέρει γεγένησθε* (cf. Hermog. ap. Sp. II, 277, 292); eod. m. dicit Cic. l. a. II, 91 *nervis omnibus urbe exsectis urbem ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt*; cf. ib. 47; Ph. XII, 8. Ap. Dem. IX, 12 invenitur: *ἐπισκεψομένους ἔφη τοὺς στρατιώτας πεπομφέναι· πυνθάνεσθαι γὰρ αὐτοὺς ὡς νοσοῦσι*, XXIV, 85 *ἀλεξιφάρμακον·* a Cic. Mil. 33 leges Clodii faces urbis, pestes rei p. appellantur, in V. 5, 183 est *conscientiae contagio* (cf. Mur. 78; Sull. 6; dom. 108), V. 3, 152 *cum comites sibi suo illo panchresto medicamento amicos reddidisset*; cf. Cluent. 201 etc. Medicina autem, remedium, mederi, sanare et Demosthenicum *ὑγιής* et *ὑγιαίνειν* frequenti usu iam omnem huius rei quasi colorem amiserunt. Flacc. 54 habet Cic.: *Castricianum vulnus dicendo refricuisset;* sed finis sit.

Quoniam igitur ostendi, quibus ex regionibus quas ad res demonstrandes translationes peti soleant, ad hanc rem magis illustrandam uno alterove exemplo explicabo, quam multis ex fontibus ad unius rei rationes exprimendas hauriri possint. Atque ad hanc rem declarandam optimum esse duxi omnia congerere, quae de r e p. et de o r a t i o n e dicuntur. Res p. igitur Caecil. 70 aegrota ac prope desperata est, dom. 42 funere elata, Mur. 84 conceptum periculum parturit, Mil. 24 dilaceratur, Sest. 78 plagam accipit, sed eam, quam gemere possit, laeditur, Sull. 76 convalescit et sanatur, dom. 96 concidit Ciceronis discessu, eius salute recreatur, Sest. 24 constringitur, affligitur, contrucidatur, p. r. p. 11 orba consulis fidem tamquam legitimi tutoris implorat, p. r. s. 4 parentibus perpetuis (senatu) orbata est, Ph. XIII, 9 Pompei filium suo sinu complexuque recipit, Sest. 81 a sicariis oppressa atque conculcata est, dom. 141 cum Cic. exterminata ab exstinctoris inflammato furore se Ciceronemque repetit, V. 1, 20 stare non potest, ib. 5, 12 ruit, har. r. 60 si undique fulciatur iam labefacta, vix nixa in omnium

humeris cohaerebit, Sull. 1 praecipitat, Ph. II, 109 concutitur, Sest. 73 quassata est, ib. 97 gubernatur; rei p. commemorantur Sest. 7 fluctus, Pis. 41 voragines scopulique, har. r. 11 tempestas et nox, dom. 137 procella, turbo, tempestas, naufragium, tenebrae, l. a. II, 71 lux, Sest. 5 ruinae eversae atque afflictae, dom. 2 labes atque flamma, Planc. 62 quasi vilici, ib. 93 tamquam orbis, Pis. 9 bustum, ib. 72 sepulcrum, dom. 24 pestes, Sull. 76 magni et diuturni et iam desperati morbi, Mil. 68 partes aegrae et labantes, Vat. 20 vulnera, Cat. I, 31 venae atque viscera, p. r. s. 4 interfectores, Sest. 112 sedes, dom. 124 rei p. sanguine helluatus est Gabinius, Pis. 25 de corpore eius scelerum tela revelluntur, Ph. VIII, 15 in eius corpore quidquid est pestiferum amputetur: l. a. III, 4 rei p. obducta iam cicatrix refricatur, Ph. V, 16 dedecus imprimitur, Vat. 20 mortifera plaga auguratus Vatinii infligitur, Ph. XIII, 44 lux affertur, rem p. Cic. Cat. III, 2 ex faucibus fati eripuit, in rem p. Mil. 87 insultatur, in re p. Ph. XIV, 17 magnus campus est, multis apertus cursus. Ap. Dem. in hac ratione versatur *σκηπτός* de cor. 194, *νόσος* et *νοσεῖν* XIX, 259 etc., XXIV, 91 *συγχεῖ τὴν πολιτείαν*.

De eis, quae in orationem a rebus aliis transferuntur, totum volumen componi poterat; quare hic maxime brevitati studendum est. Aliqua tamen etiam de Ciceronis libris rhetoricis, qui talibus maxime abundant, huc inferenda esse duxi. Atque ap. Dem. in hoc g. multa deprehenduntur verba eundi omninoque ea, quae aliquem motum localem significant: *ἰέναι, ἐπανιέναι, προιέναι, βαδίζειν, ἀφικνεῖσθαι, πορεύεσθαι ἐπί τι, διεξελθεῖν, διασύρειν, ἐπισύρειν, ἀπαρτᾶν τὸν λόγον* (de cor. 59), *λόγους ἄνω καὶ κάτω διακυκᾶν* (ib. 111), *ἀγωνίζεσθαι* (ib. 3 etc.), *ἅπτεσθαι* (ib. 160), *ἐξωσθῆναι εἰπεῖν* (XXIV, 61), *ἀποκλεισθῆναι τοῦ λόγου* (XLV, 19), *λόγον ἐκ λόγου λέγοντα τοῦ παρόντος ἑαυτὸν ἐκκρούειν* (XVIII, 313); praeterea legitur VIII, 52 *ἐπειδάν τι τῶν πρὸς Φ. ἐμπέσῃ* (cf. de cor. 42), XVIII, 199 *πολὺς τοῖς ἐμβεβηκόσιν ἐγκεῖται*, XIX, 134 *ἥξει λόγος*, XX, 63 *ἵνα μὴ πόρρω τοῦ παρόντος γένωμαι κτά.* Ap. Cic. o r a t o r dicitur venire (contento cursu ad aliquem Sest. 13), properare (ad alia), reverti, accedere sensim ad animos, proficisci, irruere, insultare, aberrare, volitare, evolare, percurrere, decurrere ad aliquam orationem, descendere, incurrere, pergere, cetera persequi, consectari, transilire, obire, abire ad ineptias, transire leviter atque perstringere, digredi, aggredi, progredi, ingredi in causam, magis intrare (Flacc. 23), longius prolabi, delabi, se conferre, coniicere, peragrare per animos (de or. 1, 222), perfringere, irrumpere in sensus, adducere, offendere, comprehendere, complecti, amplecti, detorquere alicui aliquid, eripere, extorquere, afferre, tentare aliquem oratione, excipere voluntates, incumbere, impellere, haerere, versari, ponere titubanter et strictim, subtiliter inducere, tractare, pertractare, iactare se, carpere, inclinantem accipere, stantem inclinare, coarctare, peranguste refercire, dilatare, inculcare leviora (or. 50), dictione explicare, explanare,

exponere, planum facere, acervatim reliqua dicere (Cluent. 30), voce attingere, maculare (Sest. 108), causam voce sustinere, consequi (Caecil. 39), adversarios figere (or. 89; cf. de or. 2, 219; 293), iniicere, media incidere (Ph. II, 47), evomere, retexere (Ph. II, 32), argumenta spargere, convellere velle, quae non possunt commoveri (de or. 2, 205), Caesaris scripta calamistris inurere (Brut. 262), redigere in quadrum numerumque sententias (or. 208), silvam rerum formare filo, illuminare verbis (de or. 3, 103; cf. or. 124), de or. 2, 303 quidam dicuntur exulcerare, quae sanare nequeunt. Orator subtilis ex vinculis numerorum eximitur (or. 77), sani et sicci sunt, qui dicunt Attice (de opt. gen. 8), fingitur orator, creatur, alitur, vestitur, ornatur (de or. 2, 123), latrat (Brut. 58); oratorum usurpantur partus atque fontes (ib. 49), uberior fetus (182), lauta supellex in instrumento (de or 1, 165), cincinni et fucus (ib. 3, 100), lacerti (B. 64); ib. Lysias dicitur strigosior, 285 Phalereus floridior, 317 Hortensius deflorescens, or. 20 alii tenues, acuti, pressa oratione limati, alii ib. 99 acres, ardentes. Dicunt autem et loquuntur et disputant oratores acute, dilucide, subtiliter, explicate, distincte, abundanter, illuminate, enucleate, limate, elate, argute, inquinate, summisse, graviter, temperate, subtiliter, nervose, leniter, aspere, concluse, apte, ieiune, minute, vitanda sunt curta, claudicantia, redundantia (or. 173), mutila, hiantia (or. 32), infracta, amputata (ib. 170), expetenda sunt apta, finita etc. E l o q u e n t i a una est, quascumque in oras disputationis regionesve defertur (de or. 3, 22), Isocratis educata nutrimentis ipsa se postea coloravit et roboravit (or. 42), e Pyraeo evecta omnes peragravit insulas atque ita peregrinata est tota Asia, ut se externis oblineret moribus omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanitatem perderet (B. 5), eloquentiae fundamentum est sapientia (or. 70), speciem perfectae animo videmus, effigiem auribus quaerimus (ib. 9), maxime excellentis species et forma adumbratur (ib. 43). O r a t i o polita est (de or. 1, 31), plena, teres, tenuis non sine nervis et viribus (ib. 3, 199), levis, structa, terminata, — aspera, horrida, nec perfecta nec conclusa (or. 20), non adstricte, sed remissius numerosa (de or. 3, 184), exsanguis (ib. 1, 57), spinosa, exilis (ib. 1, 83), mollis, tenera, flexibilis, contorta, fervida, festivitate condita (de or. 2, 227), urbanitate colorata (B. 170), stabilis volubilis (or. 187), humilis, abiecta (ib. 192), circumfluens (B. 203), incitata, vibrans (ib. 326), pellucens (274), posteriorum quasi altius exaggerata Catonis luminibus obstruxit (66), ut gravis, ut suavis sit, non est singulorum articulorum, in toto spectantur haec corpore (de or. 3, 96); praeterea o. dicitur claudere, sententias vestire, volvi, enervari, admoveri ad sensus inflammandos, in aures infundi, in animo inscribi; rivis est diducta, non fontibus, et, quocumque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata (de or. 3, 23), ita pura est, ut nihil liquidius, ita libere fluit, ut nusquam adhaerescat (B. 274), funditur (or. 210), in animis penitus insedit (Balb. 4), absorbetur (Sest. 13), ornatur quasi colore quodam et suco suo, consper-

gitur verborum sententiarumque floribus (de or. 3, 96), ex rerum cognitione efflorescat oportet (ib. 1, 20), ut retinet navis cursum suum, intermisso pulsu remorum, sic oratio, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet cursum scriptorum similtudine et vi concitata (1, 153), inflectitur (B. 38), quadratur (or. 197), lacerat, cruentat (Ph. II, 86), tamquam in orbe inclusa currit (or. 207), canescit, habet suam maturitatem et quasi senectutem (B. 8), efficiendum est, ne fluat, ne vagetur. ne insistat interius, ne excurrat longius (de or. 3, 190); orationis usurpatur materies (Rosc. A. 89), genus lubricum, praeceps (Pis. 68), g. florens, pictum, expolitum, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores (or. 96), g. dulce, effluens (or. 42), g. fusum, tractum cum lenitate profluens sine sententiarum aculeis (de or. 2, 64), lumen (ib. 3, 50), subtilitas eius etsi non plurimi sanguinis est, habeat tamen sucum aliquem oportet, ut sit quasi integra valetudine (or. 76); dicendi dicitur ubertas, silva (or. 12), ardor (B. 317), faces (de or. 2, 205), forma, figura (ib. 2, 98), mysteria (1, 206), epulae (top. 25), Isocratis domus ludus quidam atque officina dicendi (B. 32); loquendi commemoratur unctior quaedam splendidiorque consuetudo (B. 78) et opimum quoddam et adipatae dictionis genus (or. 25); orationi numerus quasi quandam palaestram et extrema lineamenta attulit (or. 186); oratione incendium concitatur (de or. 2, 197), in oratione luxuries stilo depascenda est (ib. 2, 96), ex Palerei orationibus ipsae Athenae redolere videntur (B. 285) S e r m o infertur de re (de or. 1, 29), inquinate loquentium expurgandus est (B. 258), Xenophonteus est melle dulcior (or. 32), emanat, exit (Rosc. A. 3), permanat, redundat (Balb. 56), sermonis ansae dantur (Sest. 22). — V e r b a sunt alligata, soluta (de or. 3, 176), dura, humilia, longius ducta (B. 274), illustria (de or. 1, 151), ardentia (or. 27), effervescentia, redundantia (de or. 2, 88), verbis quasi demensa (or. 38), volvuntur (B. 246), quasi coagmentantur (ib. 68), quaedam inania inculcantur quasi complementa numerorum (or. 230; cf. ib. 231); verborum dicitur ieiuna concertatio (de or. 2, 68), volubilitas (1, 17), cursus (1, 161), flumen (2, 188), orbis (3, 198), momenta (part. 25), pondera (de or. 2, 73), sedes (ib. 3, 19), lux (3, 24), lumina (or. 67), conglutinatio (ib. 78), architecti paene Stoici (B. 118), constructio (de or. 1, 17), nitidum genus, laetum, palaestrae magis et olei quam fori (1, 81), splendor (2, 34), dos (1, 234); verbis obruitur Caecilius (Caecil. 46), sententia colligatur (or. 168; cf. de or. 3, 175), s. volvitur (B. 280), fortissimum genus dicendi est rem binis aut ternis ferire verbis (or. 226; cf. de or. 1, 255), principia verecunda esse debent, non elatis incensa verbis (or. 124), in verbis et rebus exaedificatio posita est (de or. 2, 63), ex verbo causa pendet (2, 107). V o x est contenta, summissa, inclinata, inflexa ad miserabilem sonum (or. 56, de or. 2, 193). Qui Attice dicere volunt non ossa solum, sed etiam sanguinem imitantor (B. 68), tribus figuris insidere quidam venustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color (de or. 3, 199), Catonis lineamentis nisi

eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, flos et color nihil defuit (B. 298; cf. de or. 2, 188), apud Thrasymachum sunt multa nimium depicta (or. 39), de or. 3, 217 dicuntur oratori expositi ad variandum colores, or. 79 fucati medicamenta candoris et ruboris, or. 224 omnia tamquam crepidine quadam comprehensione longiore sustinentur, Demosthenis non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur (or. 234), Pericles ab Aristophane fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus est (ib. 29), Isocratis non in acie versatur et ferro, sed quasi rudibus eludit oratio (de opt. gen. 17), educenda dictio est ex domestica exercitatione medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem (de or. 1, 157), de or. 2, 294 dicit C., se ita cedere solere, si qua res premat vehementius, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videatur, sed adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam et pugnae similem fugam; consistere vero in suo praesidio sic, ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse videatur; in or. 228 est: *oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit apta, nec satis recte declinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit* (cf. de or. 2, 303; 313; 316; B 37); or. 21: *orator medius uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit nihil afferens praeter facilitatem et aequabilitatem, aut addit aliquos ut in corona toros:* or. 228: *compositionem adhibere necesse est, ne infinite feratur, ut flumen, oratio, quae — numero coacta debet insistere;* ib. 39: Herodotus *sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit*, Thucidides *incitatior fertur* (cf. ib. 128); or. 75: *quocumque feremur, danda vela sunt;* Cael. 51: *quoniam emersisse iam e vadis et scopulos praetervecta videtur oratio, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur.* Brut. 330 orbae eloquentiae Cic. et Brutus quasi tutores relicti sunt; V. 4, 43 V. in eculeis equitare dicitur.

Ex hac metaphorae expositione id apparere puto, Ciceronem in hoc g. multo copiosiorem esse quam Dem. omninoque hunc subtilius dicendi genus secutum esse, illum magis expressa et illustri dictione delectari [96]). Nunc pergamus ad eam dicendi formam summatim explicandam, quae a Graecis

Catachresis

appellari et tropis inseri solet. Ea *non habentibus nomen suum accommodat*, Charisius autem dictionem alienae rei necessario impositam dicit [97]). Quid a metaphora differat, Tryph.[98]) docet: *διαφέρει δὲ μεταφορὰ καὶ κατάχρησις, ὅτι ἡ μὲν μεταφορὰ ἀπὸ κατονομαζομένου ἐπὶ κατονομαζόμενον λέγεται, ἡ δὲ κ. ἀπὸ κατονομαζομένου ἐπὶ*

[96]) cf. Jenisch. p. 191. [97]) Quintil. 8, 6, 34; Keil. I, 273. [98]) Sp. III, 193.

ἀκατονόμαστον. Uberiorem huius rei expositionem exhibet Gerber[99]), qui ostendit, multas verborum in lingua exculta potestates ex hac ratione esse repetendas. Ab artium scriptoribus multa exempla huc trahuntur, quae melius translationi subiici puto: *γόνυ καλάμου, ὀφθαλμὸς ἀμπέλου, χεῖλος κεραμίου, τράχηλος ὄρους, γαστὴρ νηός, γλῶσσα ὑποδήματος*, cornua arcuum, labium calicis. Nam ea tantum verba composita vel dictiones huc spectare arbitror, quae cum per se ipsa habeant plenum aliquem sensum, cum aliis iunguntur, quibus eorum vis repugnare videtur, ut cum Latine parricida de quovis propinquorum interfectore dicitur. Ap. Cic. aedificare saepe in tali ratione versatur, Dem. habet in Boeot. I, 6 *περὶ ὀνόματος ζυγομαχεῖν*, V. 6 *τὰ παρ' ὑμῶν διοικοῦντα Φιλίππῳ.* Rei ipsius magis illustrandae causa haec addamus: Soph. Ant. 509 *σοὶ δ' ὑπίλλουσι στόμα*, Ai. 548 *αὐτίκ' ὠμοῖς αὐτὸν ἐν νόμοις πατρὸς δεῖ πωλοδαμνεῖν*, Eur. Bacch. 151 *γέροντα παιδαγωγήσω*, H. *Δ*, 3 *νέκταρ ἐῳνοχόει*, Epicharm. ap. Athen. II, p. 49, C *τρίπους τετράπους*, ex Jacobsii Anthologia *ὁ ἐπὶ τοῦ ἐλέφαντος ἱππεύς, οἰκονομεῖν θαλάμους, ταυροκτονεῖν βοῦς, ναυκληρεῖν πόλιν, ὑμνῳδεῖν θρῆνον, ἵππους, αἶγας βουκολεῖν*, quae exempla Weckleinius ad Soph. Ai. 549 affert; praeterea sunt notanda Ciceronis »solarium ex aqua« et nostrum »silberne Hufeisen« et Francogallicum »aller à cheval sur un baton«. Neque vero ista multum habent utilitatis; quare transeamus ad eam huius g. formam, quae a technographis Graecis

Allegoria

vocari solet; ea nihil aliud est, nisi translatio per plura verba vel etiam sententias ducta. Secundum Cornif. est permutatio per similitudinem, per quam *translationes plures frequenter ponuntur a simili ratione ductae*[100]); Tiberius eam figuris subiungit[101]). Quintil.[102]) duas eius species constituit, unam totam, in qua nullum proprium verbum ponitur, alteram apertis permixtam, cuius exempla Cic. Mil. 5 et Mur. 35 arcessivit. Sed haec Quintiliani doctrina mihi magno opere eo laborare videtur, quod omnem translationis et allegoriae discrimem tollit; an vero existimemus, si translationis ratio duo vel tria verba complectatur, quod saepissime fieri videmus, continuo allegoriam existere? Censeo igitur hanc dictionibus propriis commixtam allegoriam repudiandam eamque solum esse admittendam, quae tota translatis conficiatur. Gerber, qui hunc locum II_1, 98 sqq. fusius explanavit, recte monet, hanc dicendi formam non solum a translationibus continentibus oriri, sed etiam a synecdochis et metonymiis etc.; synecdochicae allegoriae nullum afferre

---

[99]) vol. I, 389 sq. et II_1, 97. [100]) 4, 34, 46. [101]) Sp. III, 70; cf. ib. Tryph. 193, Anon. 207, Greg. 215, Coc. 234, Georg. 244. [102]) 8, 6, 47.

possum exemplum, nisi quis illam individui pro specie positionem longius ductam (Rosc. A. 89 sq.; V. 5, 31) huc trahere velit. Metonymiae autem ratio longius servatur a Cic. in prov. c. 29, cum dicit, *laurea amittit viriditatem*; in Pis. 97 verborum *ex illo seminario triumphorum cum arida folia laurae rettulisses* eadem esset ratio, nisi voce »triumphorum« perpetuitas metonymiae tolleretur. Grossius [103]) etiam proverbia aliqua huc revocanda esse existimat, ut Hor. epist. 1, 2, 55: *Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit*, ib. carm. 2, 10, 9 *Saepius ventis agitatur ingens pinus et celsae graviore casu decidunt turres, feriuntque summos fulgura montes*; ex Cic. huius notae haec esse videntur: reduviam curare (Rosc. A. 128), claudus pilam (Pis. 69), cornici oculum (Flacc. 46; Mur. 25), una mercede duas res assequi (Rosc. A. 80); mercedem duplicatam esse (Sest. 74), currentem incitare (Ph. III, 19; cf. Cluent. 70), *hinc illae lacrimae* (Cael. 61), *o praeclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum* (Ph. III, 27), *arcem facere e cloaca lapidemque e sepulcro venerari pro deo* (Planc. 95) etc. Extra hanc rationem notissimum est illud Horatii (carm. 1, 14, 1 sqq.): *O navis, referent in mare te novi fluctus* etc. In Aesch. Choeph. 247 sqq. legitur: *ἰδοῦ δὲ γένναν εὖνιν αἰετοῦ πατρὸς θανόντος ἐν πλεκταῖσι καὶ σπειράμασι δεινῆς ἐχίδνης. τοὺς δ' ἀπωρφανισμένους νῆστις πιέζει λιμός*· Cornif. l. c. affert: *cum canes fungentur officiis luporum, cuinam praesidio pecua credemus?* Ex quadam Ciceronis oratione deperdita citat Quintil.: *hoc miror, quemquam hominem ita pessumdare alterum velle, ut etiam navem perforet, in qua ipse naviget*; praeterea haud scio an nulla ap. Cic. allegoria inveniatur, quae quidem tota translationibus constet; nam etsi complures sententiae nullum nomen aut verbum proprium continent, tamen translationis series interrumpitur aut pronomine demonstrativo aut coniunctione aliqua saepissime causali, ut har. r. 55 *iam i s t a serpens, quae tum hic delitescit, tum se emergit et fertur illuc, compressa et illisa morietur*; Cael. 42 *h a e c deserta via et inculta atque interclusa iam frondibus et virgultis relinquatur*; Planc. 94 *a n, cum videam navem secundis ventis cursum tenentem suum, si non eam petat portum, quem ego aliquando probavi, sed alium non minus tutum atque tranquillum, cum potestate pugnem potius, quam illi paream?* V. 1, 98 *non modo proditori, sed ne perfugae quidem locus in m e i s castris cuiquam fuit*, Sull. 50 *tu ornatus exuviis huius venis ad eum lacerandum, quem interemisti: ego iacentem et spoliatum defendo et protego*; Quinct. 29 *Alfenus interea Romae cum isto gladiatore vetulo quotidie pugnabat. Utebatur populo sane suo propterea, quod iste caput petere non desinebat*; cf. Rosc. A. 17; Ph. II, 74; Rosc. A. 90 canes etc. Ph. II, 34 stilus etc. Ex Dem. addendum est de cor. 159 *ὁ γὰρ τὸ σπέρμα παρασχὼν, οὗτος τῶν φύντων αἴτιος*. Sed haec hactenus.

[103]) p. 121 sqq.

Aenigma

est obscurior quaedam allegoria [104]); id Quintil. vitium orationis esse iudicat, si quidem dicere dilucide virtus sit; tamen eo et poetas uti scribit, ut Verg. Ecl. 3, 104 *dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo, tris pateat coeli spatium non amplius ulnas* et oratores non numquam — exempla ibi allata ex Cic. or. in Clod. et Cur. (cf. Cael. 62) indicasse satis erit propter sententiae partim obscuritatem partim obscoenitatem. Tryph.[105]) et alia citat et Athen. X, 451 *εἰσὶ κασίγνηται δισσαί, ὧν ἡ μὲν μία τίκτει τὴν ἑτέραν· αὐτὴ δὲ τεκοῦσ' ὑπὸ τῆσδε τεκνοῦται* (*ἡμέρα καὶ νύξ*); idem sex formas aenigmatis distinguit: *καθ' ὅμοιον, ἐναντίον, γλῶτταν, ἱστορίαν, ὁμωνυμίαν, συμβεβηκός·* non igitur totum in allegoriae rationem cadit. De illius ab hac discrimine Anon.[106]) haec exhibet: *διαφέρει δὲ αἴνιγμα ἀλληγορίας, ὅτι ἐκείνη μὲν γίνεται προτροπῆς ἢ ἀποτροπῆς ἕνεκα ἢ καὶ διὰ τὸ σεμνότητα, τὸ αἴνιγμα δὲ χάριν ἀσαφείας ἐπιτετηδευμένης.* In orationem cum fere non cadat, a poetis non numquam intexitur aut, quod longe frequentissime fit, separatum ab omni alia dictione ad acutos quosdam ingenii lusus et iocos convertitur. Eos, qui de hac re plura requirunt, ad Gerb. revoco vol. II_2, 150 sqq. et 264 sqq.

Ironia

quoque a Quintil. allegoriae subiungitur [107]), ab aliis autem ex tropis eximitur et figuris adiudicatur. Atque *ironia est, cum orator per simulationem diversum, quam dicit, intelligi cupit. Fit autem, aut cum laudamus eum, quem vituperare volumus aut vituperamus, quem laudare volumus* [108]). Sed in plurima exempla Anonymi ap. Sp. III, 140 definitio convenit *ἔμφασις κακίας δι' εὐφήμων ῥημάτων.* Neque enim fere ad laudandum oratores ironia utuntur, nisi cum de se ipsis aliquid proferre coguntur; quod si laudem in se habet, offensionis vitandae causa talem artem adhibent, quae simul in deminutionis ratione versatur. Cic. Caecin. 32 de se usurpat *ego homo imperitus iuris, ignarus negotiorum,* dom. 57 *scilicet homo, qui eam* (causam) *non possem explicare*; cf. Vat. 8; de aliis hominibus hac ratione utitur in Rosc. A. 39 *vetus videlicet sicarius, homo audax et saepe in caede versatus* etc. cf. Mil. 28. Natura fert, ut talis per contraria nomina rei significatio non eandem habeat vim, quam simplex enuntiatio, sed simul amplificationem vel, ut Herodiani [109]) verbis utar, fiat *κατὰ ἐπίτασιν* et *μετά τινος ἠθικῆς ὑποκρίσεως;* etiam *καταφρονητικὸν ἢ*

---

[104]) 8, 6, 52. [105]) Sp. III, 193; cf. ib. Greg. 224, Coc. 236, Georg. 253. [106]) ib. 209. [107]) 8, 6 44 *allegoria ostendit etiam interim contrarium.* [108]) Isid. ap. H. 521. [109]) Sp. III, 91.

εἰρωνεία[110]) et saepe multum habet acerbitatis et acrimoniae. Eius in genera et partes divisio plurimum habet difficultatis. Quintil.[111]) duas distinguit partes, quarum una tropus est, altera figura; quod si recipitur, iam tropi et fig. non genere differunt; sed ipsum audiamus: *εἰρωνεία, quae est schema, ab illa, quae est tropos, genere ipso nihil admodum distat, species vero prudentius intuenti diversas esse facile est deprendere. primum, quod tropos apertior est et quamquam aliud dicit ac sentit, non aliud tamen simulat: — in duobus demum verbis est ironia, ergo etiam brevior est tropos. at in figura totius voluntatis fictio est, apparens magis quam confessa, ut illic verba sint verbis diversa, hic sensus sermoni et voci et tota interim causae conformatio, cum etiam vita universa ironiam habere videatur, qualis est visa Socratis. nam ideo dictus εἴρων, agens imperitum et admiratorem aliorum tamquam sapientium, ut, quemadmodum ἀλληγορίαν facit continua μεταφορά, sic hoc schema faciat tropos ille contextus.* At quomodo tropus, si continuatur, figura evadere potest? nam de causis figuratis, quas Quintil. supra commemorat, non est, quod plura verba faciam. Neque illud concedendum est, tropos et figuras non genere inter se differre. Itaque si ironia tropus est, qui est, quatenus hic verbum pro verbo ponitur, etiam ironia continuata tropus est pariter atque allegoria, quae est translatio continuata[112]). Earum vero ironiae formarum, quae ab artium scriptoribus enumerari solent, non ea est ratio et comparatio cum hac ironiae vi et interpretatione, quae inter speciem et genus intercedere solet, sed id tantum inter ea convenit, quod haec omnia ad irridendum et illudendum adhiberi solent. Ipsae harum rerum definitiones tam sunt infinitae, ut nihil firmum praebeant, ubi insistere et unde rem longius persequi possis. Itaque omnia illa nomina σαρκασμός, χλευασμός, διασυρμός, ἀστεισμός, εἰκασμός, χαριεντισμός, ἐξουθενισμός, καταγέλως, σκῶμμα, ἐναντίωσις, ἀντιμετάθεσις, ἐπικερτόμησις κτλ., in quantum quidem ad ironiae partes et formas designandas usurpantur, negligamus et hoc tantum statuamus, irrisionem et illusionem fieri aut contrariis verbis aut eis, quibus proprie demonstrantur ea, quae significare volumus. Sed hoc genus, quo propriis verbis et toto genere orationis severe luditur, leviter et strictim transibo; quod nisi facerem, mihi omnia rediculorum genera, quae a Cic. de or. 2, 216 septuaginta quattuor paragraphis explicantur, tractanda erant. Priusquam autem exemplorum copiam exponere aggrediar, praemonendum esse videtur in Cic. maximam vim et facultatem omnium iocorum et facetiarum fuisse, ut in ore populi etiam eius ferrentur facete dicta, quae non ab ipso profecta erant. Qui de hac re dicit Planc. 35 *quamquam — agnosco enim ex me — permulta in Plancium, quae ab eo numquam dicta sunt, conferuntur. Ego quia dico aliquid aliquando, non studio adductus, sed aut contentione dicendi aut lacessitus, et*

110) Aristot. Rhet. II, Sp. I. 66. 111) 9, 2, 44 sqq. 112) cf. Dzial. p. 3 sq.

quia, ut fit in multis, exit aliquando aliquid, si non perfacetum, at tamen fortasse non rusticum, quod quisque dixit, me id dixisse dicunt etc. praeterea Ph. II, 39 *ne de iocis quidem respondebo, quibus me in castris usum esse dixisti* etc. Neque fere in orationibus eius ullus locus invenitur, nisi qui in magna contentione versatur, quin aliqua aut ironia aut irrisione aut certe ioco et lepore quasi tinctus sit, ut or. de leg. ag. II. paene tota rebus eius g. conspersa est. Demostheni autem plerique hanc virtutem defuisse dicunt[113]), *quo quidem Ciceroni* (or. 90) *nihil videtur urbanius, sed non tam dicax fuit quam facetus;* auctor autem libri *περὶ ὕψους*, qui dicit[114]): *ἔνθα γελοῖος εἶναι βιάζεται καὶ ἀστεῖος, οὐ γέλωτα κινεῖ μᾶλλον ἢ καταγελᾶται*, veritatem certe praetergressus est. Blassius[115]) etiam huius rei facultatem magnam ei vindicat et praeter ceteras orationem, quae est de reb. Chers., hac re excellere scribit. Sed in viam redeamus.

Propriis igitur verbis irrisio quaedam conficitur huius m. locis: V. 2, 22 *maluit videlicet homines peccare quam deos*, p. r. s. 14 *habet magistros non ex istis ineptis, qui dies totos de officio ac de virtute disserant,* Planc. 83 *non nihil egisti, mihi eripuisti ornamentum orationis*, Sest. 110 *posteaquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam* (nisi rectius »reculam« legitur) *perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit;* Cael. 32 *facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro — fratre volui dicere, semper hic erro*; cf. ib. 36; 38; 17; har. r. 44; dom. 92; Vat. 7; Pis. 58; V. 4, 7; 8; 12; 37; 43; 48; 143; 148; 5, 10; 14; 31; 29; 92; 1, 25; 53; 106; 2, 26; 54; 116; 132; 154; 190; Cat. I, 9; 10; 26; II, 13; 23; Pis. 59; Cael. 23; 57; Sest. 19; 80; 135; Ph. II, 5; 18; III, 22; XIII, 27; 43; 45; Quinct. 55; Rosc. A. 6; 100; 144; Mur. 25 sqq. etc. Dem. de cor. 198, 232, 243, 262, LV, 18; Mid. 203 etc.

Etiam deminutiva saepe in hanc rationem cadunt, quae non paucitatem vel exiguitatem rei designant, sed orationi ioci et leporis aliquid aspergere videntur, ut V. 3, 106 *lucelli*, 4, 53 *nummulorum, Graeculo* 2, 72 etc., 2, 185 *pauculis mensibus*, 3, 30 *meretricula*, 3, 49 *cerviculam*, 79 *amiculo*, 85 *munusculum*, Cluent. 37 *hortulos*, 105 *rumusculos*, 175 *servulus*, dom. 51 *rogatiuncula*, har. r. 42 *aetatulam*, Sest. 82 *rusticulus*, Cael. 33 *barbula*, prov. c. 15 *latrunculis*, Pis. 20 *nubeculam*, 55 *togulae — sagula*, Planc. 30 *mimulam*, 76 *lacrimulam*, Ph. II, 77 *cauponula*, III, 21 *sententiolas*, Dem. XVIII, 260 *γραδίων*,

---

113) Quintil. 6, 3, 2 dicit: *plerique Demostheni facultatem defuisse huic rei credunt, Ciceroni modum. Nec videri potest noluisse D., cuius pauca admodum dicta nec sane ceteris eius virtutibus respondentia palam ostendunt, non displicuisse illi iocos, sed non contigisse*; etiam. Dion. Hal. de adm. vi dic. in Dem. 54 scribit: ἡ Δημοσθένους λέξις λείπεται τῆς εὐτραπελίας. 114) Sp. I, 284. 115) III, 163 sq.

261 *ἀρχιδίοις*, XIX, 255 *λογάρια–πολίδιον*· sed multa huius g. etiam aut contemptioni aut indignationi serviunt, ut illud tritissimum muliercula, Pis. 59 *homullus* etc.

Vera autem ironia, quae contrariis fit verbis, saepe in uno aliquo nomine nititur, ut ap. Dem. crebro *καλὸς* sic usurpatur: IX, 65 sq. *καλήν γ' οἱ πολλοὶ νῦν ἀπειλήφασιν Ὠρειτῶν χάριν — καλὴν ὁ δῆμος ὁ Ἐ. — καλῶς Ὀλυνθίων ἐφείσατο·* cf. XIX, 39 etc. de cor. 266 occurrit: *ἀγαθῇ γ', οὐχ ὁρᾷς; τύχῃ συμβεβιωκὼς τῆς ἐμῆς ὡς φαύλης κατηγορεῖς*, p. Phorm. 52 *ὦ βέλτιστε* etc., XIII, 162 *εὔνους γε, οὐ γάρ*; cf. XXIV, 106, 181, LVI, 41 *ἀνδρεῖος· χρηστὸς* hoc modo dicitur III, 27, XVIII, 30, 89, 318, XXIV, 200 etc. — Ap. Cic. frequenter adiectivum »bonus« sic tractatur, ut Rosc. C. 1 *Iste scilicet vir optimus et singulari fide praeditus in suo iudicio suis tabulis testibus uti conatur*; cf. Caecil. 56 etc.; etiam crebrius »praeclarus« in tali usu deprehenditur: V. 2, 52 *o Verria praeclara*; cf. V. I, 42; 1, 43; 93; 103; 2, 13; 47; 114; 3, 25; 28; 33; 35; 43; 53; 4, 33; 81; 95; 137; 5, 14; 28; 59; 92; 93 etc. in V. 5, 49 est: *habemus hominem in fetialium manibus educatum, unum praeter ceteros sanctum ac diligentem*; cf. Cluent. 91; l. a. I, 9; II, 23; 30; Ph. III, 24; V, 22; Font. 30; V. 2, 92; 5, 28; p. r. s. 13; Pis. 14; Cael. 20; in Sest. 93 itidem usurpatur *castus ac non cupidus* (cf. V. 1, 100; l. a. II, 20; Ph. V, 12); Ph. XIII, 42 *pius*, V. 3, 106 *non malus*; in Cluent. 108 legitur: *o innocentiam Oppianici singularem!* Pis. 17 *o noster misericors* (cf. Ph. II, 77), Ph. X, 13 *homo verecundus* (cf. ib. XIII, 37), Cluent. 26 *utriusque humanitatem constantiamque cognoscite*, V. 4, 127 *iste eruditus homo, qui haec subtiliter iudicat, qui solus intelligit* etc., ib. 126 *elegantissimus*, 2, 127 *ingeniosus et peracutus* (cf. ib. 128; 4, 147), dom. 47 *legum scriptor peritus et callidus* (cf. Ph. XIV, 10; II, 11; 28; 31; Cael. 62; l. a. II, 29); in Balb. 27 exstat: *ius omne noster iste magister mutandae civitatis ignorat*, l. a. II, 15 *lege pulchra atque populari* (cf. dom. 108; Ph. II, 84), Pis. 93 *ne suavissimi hominis memoria moreretur*, Ph. VI, 12 *redeo ad amores deliciasque vestras, L. Antonium*, Vat. 40 *quam copiose*, V. 2, 129 *novus astrologus, qui non tam caeli rationem, quam caelati argenti duceret*, Dei. 19 *quam festive* (cf. V. 3, 162), dom. 92 *facetus*, Pis. 36 *Paule noster* (cf. Ph. XIII, 26), V. 2, 71 *liberalis*, Rab. p. 13 *clementem popularemque* (cf. l. a. II, 27; dom. 80), p. r. s. 4 *modesti* (cf. Ph. VIII, 25), Ph. II, 69 *frugi* (cf. dom. 111), Ph. II, 93 *egregius* (cf. V, 15), Mil. 40 *magnum*, Tull. 19 *beatus*, l. a. II, 21 *felix* (cf. Ph. III, 26), Quinct. 45 *aequa* (saepe), Lig. 1 *novum, non auditum*, V. 2, 46 *invicta*, Cat. II, 4 *vehementer*, Pis. 55 *promptus*, Cat. I, 2 *fortes*, Ph. XI, 14 *lumen et decus exercitus* (cf. ib. 13), ib. XIII, 26 *columen amicorum*, V. 3, 137 *Cassianum*.

Si verbum, quod proprie dicitur, sic adhibetur, vis et ratio ironiae in omnem sententiam redundat. Hic primum quaedam dictiones sum-

matim tractandae sunt, quae fere semper in ironia usurpantur, ut Dem. XVIII, 51 *εἰ μὴ τοὺς θερίστας φίλους δεῖ καλεῖν τῶν μισθωσαμένων*, Cic. dom. 103 *nisi quem forte illius castissimi sacerdotis superstitiosa dedicatio deterret*; cf. ib. 35; Rosc. A. 147; Rosc. C. 29; V. 2, 143; Caecin. 2; Mil. 17; Ph. II, 111; X, 7; XIII, 4. In Cat. II, 6 legitur: *nisi vero quis est, qui Catilinae similes cum Catilina sentire non putet*; Flacc. 19 *mirandum vero est, homines eos libenter arripere facultatem laedendi, quaecumque detur* (cf. Ph. VI, 4), Cluent. 138 *proinde quasi non ab initio dixerim* etc. neque »quasi vero« usquam nisi in ironia deprehendi; evolvi possunt: V. 3, 203; 182; 118; 48; 1, 35; 148; 4, 59; 5, 24; Caecil. 17; l. a. I, 13; II, 85; Ph. XIV, 7; I, 22; VIII, 11; XIII, 23; 40 etc. Item »scilicet« et »videlicet« semper in hac ratione versari videntur, ut Planc. 72 *scilicet homo sapiens excogitavi, quam ob rem viderer beneficii vinculis obstrictus, cum liber essem et solutus*; cf. Pis. 19; 20; 28; Quinct. 39; 83; Ph. X, 17; V. 1, 107; 153; 2, 137; 3, 27; 29; 31; 41; Cluent. 127; 135; 143; l. a. I, 2; II, 22; 51; III, 7; sed piget omnia exempla indicare. Neque »credo« illud, quod inter alia verba interponi solet, non frequentissime vel potius semper, cum hoc quidem modo tractatur, in ironiam cadit, saepe autem etiam aliis locis, ut V. 1, 31 *credo, si meis horis uti voluissem, vererer, ne mihi crimina non suppeterent*; Rosc. A. 120 *ita credo: litteris eorum et urbanitate ducitur*; cf. V. 1, 62; 81; 151; 2, 81; 107; 3, 8; 191; 4, 11; 102; l. a. I, 4; 18; 19; 24; 25; sed nihil attinet totam huius rei multitudinem notare. Nunc ea breviter recensebo exempla, quae nullum huius g. externum ironiae signum prae se ferunt. In Cael. 67 reperitur: *praegestit animus iam videre, primum lautos iuvenes, mulieris beatae ac nobilis familiares; deinde fortes viros, ab imperatrice in praesidio balnearum collocatos* etc. cf. ib. 63; in Ph. VIII, 5 est: *Gallia vastatur: quae pax potest esse certior? Illud vero quis potest bellum esse dicere* etc. ib. XII, 23: *restat Aurelia* (via): *hic quidem etiam praesidia habeo: possessiones enim sunt P. Clodii. Tota familia occurret, hospitio invitabit propter familiaritatem notissimam*; cf. Mil. 20; 60; Rosc. A. 49; Rosc. C. 49; V. 1, 106; 128; 2, 76; 168; 3, 59; 140; 166; 4, 86; 145; 5, 14; 25; 27; 42; 49; 54 sq.; 93; Font. 36; l. a. III, 7; Cat. II, 13; 24; Flacc. 96; Sull. 33; dom. 89; 105; 127; har. r. 9; Pis. 17; Ph. VII, 23; VIII, 16; X, 21; XII, 14; XIII, 33; 35; 46. Sed vereor, ne nimius in hoc g. videar.

Jam restat, ut etiam ea obiter attingam, quae a rhetoribus praeterea tropis adiudicari solent. Ac *μετάληψις* nominatur a Tryph. (195), Anon. (III, 209), Greg. (217), Coc. (239), Georg. (247); est autem Tryphonis sententia *λέξις ἐκ συνωνυμίας τὸ ὁμώνυμον δηλοῦσα.* Sed ex tota huius rei doctrina apparet, hanc dicendi formam potius in aenigmata et tales ingenii lusus quam in orationes veras cadere. Quintil. 8, 6, 37 exemplum affert, quo Centaurus *Χείρων* *Ἥσσων* et insulae

ὀξεῖαι θοαὶ appellantur; tum adiungit: *at nos quis ferat, si Verrem »suem« aut Aelium Catum »doctum« nominemus? est enim haec in metalepsi natura, ut inter id, quod transfertur et in quod transfertur, sit medius quidam gradus, nihil ipse significans, sed praebens transitum: quem tropum magis adfectamus, ut habere videamur, quam ullo in loco desideramus.*

Etiam ὀνοματοποιΐα tantum in lingua a principio gignenda maioris momenti fuit; nam oratio quidem omnis in communi genere dicendi versatur. Invenitur autem hoc nomen ap. Quintil. 8, 6, 31: *Onomatopoeia, Graecis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur, et sunt plurima ita posita ab iis, qui sermonem primi fecerunt aptantes adfectibus vocem: nam »mugitus« et »sibilus« et »murmur« inde venerunt, deinde tamquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa cotidie ab antiquis ficta moriantur. vix illa, quae πεποιημένα vocant, quae ex vocibus in usum receptis quocumque modo declinantur, nobis permittimus, qualia sunt »sullaturit« et »proscripturit«.* Cornif. 4, 31, 42 praeterea affert »rudere«; Tryph. (196) eam fieri scribit κατὰ ἐτυμολογίαν, ut cum εὐλαβὴς dicitur pro εὔληπτος, κατὰ ἀναλογίαν ut γεροντογωγῶ, quo etiam Ciceronis matricida (har. r. 39), et fratricida, sororicida (dom. 26) spectare videntur, κατὰ παρονομασίαν ut μελλῶ, κ. σύνθεσιν ut ποδάρκης, κ. ἐναλλαγὴν ut γύνανδροι Sophoclis, κ. διαίρεσιν ut πόλιν ἄκρην, κ. πεποιημένον ut τετριγῶτας; cf. Anon. III, 210, Greg. 220, Coc. 231 etc. Sed quoniam in troporum explicatione satis copiosus fuisse mihi videor, iam

De figuris

agere incipiamus. Hic eae, quae iam in troporum doctrina exstiterunt, duplicantur difficultates; nam cum illic plerumque controversia non sit de ipsa vi et ratione tropi, sed in eo res vertatur, quod statui vix possit, utrum quodque exemplum orationi aliquid gravioris ornatus conciliet necne, in figg. ipsa figurandi ratio tam infinitis et incertis terminis circumscribitur, ut neque in toto genere neque in singulis formis, quem ad finem quidque valeat, possit accurate definiri. Etiam Quintil.[1]) de hac re scribit: *est autem non mediocris inter auctores dissensio, et quae vis nominis*[2]) *eius et quot genera et quae quam multaeque sint*

---

[1]) 9, 1, 10; Alex. Sp. III, 9 dicit: ἔστι μὲν οὐχ ἡ τυχοῦσα δυσκολία περὶ τῶν τοῦ λογου σχημάτων εἰπεῖν· καὶ γὰρ αὐτὰ τῷ πλήθει δυσπόριστα ἐστι τῶν μὲν καὶ ἄπειρα φασκόντων εἶναι τὰ σχήματα, τῶν δὲ οὐκ ἄπειρα μὲν, πολλὰ δὲ καὶ ἀπερίληπτα, καὶ πρὸς τούτῳ γε οὐ ῥᾴδιον διακρῖναι το σχῆμα ἀπὸ τοῦ τρόπου, καὶ τὸ τῆς διανοίας καὶ τῆς λέξεως ἀπ' ἀλλήλων. [2]) A Graecis haec ratio dicendi σχῆμα vocatur, quod nomen iam a Theophrasto hoc sensu adhibitum est; Latine figura dicitur, ap. Cic. Brut. 275 lumina verborum et sententiarum; cf. de or. 3, 96; or. 83; 181.

species; et G. Hermannus[3]): *Tantum abest, ut hic locus, quantumvis operae in eo consumpserint veteres magistri, satis pertractatus videatur, ut ne illud quidem, quid omnino sit fig., plane habeamus expositum.* Atque Quintil.[4]) figuram definit conformationem quandam orationis remotam a communi et primum se offerente ratione. Hermanni autem l. c. haec est eius descriptio: *figuram censemus eam esse dictionis rationem, quae praeter id, quod verborum significatu comprehensum est, aliquid aliud ipsa conformatione orationis exprimat.* His addamus Phoebammonis verba[5]): *σχῆμά ἐστιν ἐξάλλαξις κατὰ διάνοιαν ἢ λέξιν ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἄνευ τρόπου γενομένη. ἐπὶ τὸ κρεῖττον εἴρηται διὰ τὸν σολοικισμόν· καὶ γὰρ ὁ σολοικισμὸς τροπή ἐστι καὶ ἐξάλλαξις, ἀλλ' ἐπὶ τὸ χεῖρον. ἄνευ δὲ τρόπου εἴρηται, ἐπειδὴ καὶ ὁ τρόπος καὶ ἡ τροπικὴ λέξις ἐξάλλαξίς ἐστι ἐκ τῆς κυρίως λεγομένης.* Fig. autem *duobus modis dicitur: uno qualiscumque forma sententiae, sicut in corporibus, quibus, quoquo modo sunt composita, utique habitus est aliquis* — quo intellectu communi nihil non figuratum est: *altero, quo proprie schema dicitur, in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio — itaque id demum hoc loco accipi schema oportebit, quod sit a simplici atque in promptu posito dicendi modo poetice vel oratorie mutatum*[6]).

Opera autem figurarum Fortunatiani[7]) quidem sententia quinque sunt: *ut augeas, ut abicias, ut probus existimeris, ut inparatus, ut ornes elocutionem.* Eorum, quae Isid.[8]) de hac re dicit, haec fere summa est: ad fatigationem directae et perpetuae orationis et fastidium evitandum, flectendam eam et in alias versandam esse formas, ut iudicem diverso vultu deflectat. Quintil.[9]) rhetorico paene more figurarum utilitatem describit: *etsi minime videtur pertinere ad probationem, qua figura quidque dicatur, facit tamen credibilia quae dicimus et in animos iudicum, qua non observatur, inrepit. namque ut in armorum certamine adversos ictus et rectas ac simplices manus cum videre tum etiam cavere ac propulsare facile est, aversae tectaeque minus sunt observabiles, et aliud ostendisse, quam petas, artis est: sic oratio, quae astu caret, pondere modo et inpulsu proeliatur: simulanti variantique conatus in latera atque in terga incurrere datur et arma avocare et velut nutu fallere, iam vero adfectus nihil magis ducit. nam si frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent, quanto plus orationis ipsius vultus ad id, quod efficere intendimus, compositus?* etc.[10]) Cic. autem ipse, quamquam has exornationes de or. 3, 202 sqq. obiter tantum percurrit neque ita honorifice *auctores et inventores harum sane minutarum rerum* ib. 3, 148 commemorat, tamen idem in orationibus suis his minutiis tantum tribuit, ut prae eius in hoc g. frequentia Dem. ne appareat quidem.

[3]) opuscc. acad. I, 103. [4]) 9, 1, 4. [5]) Sp. III, 44. [6]) Quintil. 9, 1, 10 sqq. [7]) H. 127. [8]) H. 517. [9]) 9, 1, 19 sqq. [10]) cf. eiusd. 9, 1, 2 et Alex. Sp. III, 13, Phoeb. 43, G. Hermann. I, 110.

Quintil. etiam praeclara dat praecepta, quo modo in oratione figg. tractandae sint[11]): *illud etiam adiciam, sicut ornent orationem oportune positae, ita ineptissimas esse, cum immodice petantur. sunt qui neglecto rerum pondere et viribus sententiarum, si vel inania verba in hos modos depravarunt, summos se iudicent artifices ideoque non desinant eas nectere, quas sine substantia sectari tam est ridiculum quam quaerere habitum gestumque sine corpore, sed ne eae quidem, quae recte fiunt, densandae sunt nimis: nam et vultus mutatio oculorumque coniectus multum in actu valet, sed si quis ducere os exquisitis modis et frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur, et oratio habet rectam qnandam velut faciem, quae ut stupere inmobili rigore non debebit, ita saepius in ea, quam natura dedit, specie continenda est. sciendum vero in primis, quid quisque in orando postulet locus, quid persona, quid tempus: maior enim pars harum figg. posita est in delectatione. ubi vero atrocitate, invidia, miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis et pariter cadentibus et consimilibus irascentem, flentem, rogantem? cum nimia in his rebus cura verborum deroget adfectibus fidem, et ubicumque ars ostentatur, veritas abesse videatur.* Idem tamen 9, 3, 4 scribit: *sunt quaedam f. ita receptae, ut paene iam hoc ipsum nomen effugerint: quae etiamsi fuerint crebriores, consuetas aures minus ferient.* Bene etiam Kleutgen[12]) monet: *Naturales sint ita, ut non solum in rem et locum conveniant, sed etiam obviae fuisse dicenti, non conquisitae aut multa arte formatae esse videantur. — Dem. idcirco oratorum est princeps iudicatus, quod hoc genere praestat omnibus. Ita tamen apud eum figg. sententiis rebusque consentiunt, ut fere ne appareant quidem nisi studiosius inquirenti.*

Cum autem dividantur figg. primum in rhetoricas et grammaticas, has, quia rhetoricam modo rationem tractare animum induxi, ex hoc libello excludam, nisi quatenus etiam ipsarum aliquae in hanc rationem cadunt. Rhetoricae quidem figg. iam inde a Theophrasto in duo genera sententiarum et verborum distribui solent, quae genera quem ad modum inter se differant, docet Alex.[13]): *τὸ δὲ τῆς λέξεως* (sive verborum vel elocutionis) *σχῆμα τοῦ τῆς διανοίας* (i. e. sententiarum) *διαφέρει, ὅτι τὸ μὲν τῆς λέξεως κινηθείσης τῆς λέξεως τῆς συνεχούσης τὸ σχῆμα ἀπόλλυται, τοῦ δὲ τῆς διανοίας, κἂν τὰ ὀνόματα κινῇ τις, κἂν ἑτέροις ὀνόμασιν ἐξενέγκῃ, τὸ αὐτὸ πρᾶγμα μένει*[14]). Voss.[15]) per translationem rem ita describit, ut in verborum figg. figurandi vim in materie tantum et quasi corpore orationis versari, in sententiarum etiam ad formam et quasi animam eius pertinere dicat. Postremo de horum generum in formas partitione id praemonendum videtur, quod Quintil. 9, 1, 23 sqq. habet: *illi, qui totidem figuras putant quot ad-*

[11]) 9, 3, 100 sqq. [12]) p. 89 sq. [13]) Sp. III, 10. [14]) cf. Tiber. Sp. III, 69. [15]) lib. V. 265.

fectus, repudiandi — in dicendo irasci, dolere — non sunt figg., non magis quam suadere, minari, rogare, sed fallit parum diligenter intuentes, quod inveniunt in omnibus iis locis figg.: neque enim pars ulla dicendi est, quae non recipere eas possit, sed aliud est admittere figuram, aliud fig. esse. Percurramus igitur

Sententiarum figuras;

natura est enim prius sentire quam eloqui[16]. A Graecis, ut iam supra indicavi, διανοίας σχήματα appellantur atque ab Herod.[17]) sic definiuntur: ἔστι δὲ σχῆμα δ. τὸ μὴ κατὰ φύσιν ἐκφέρον τὸν νοῦν μηδὲ ἐπ' εὐθείας, ἀλλ' ἐκτρέπον καὶ ἐξαλλάσσον τὴν τῆς διανοίας φράσιν. At hoc ipsum ἐξαλλάσσειν τὴν τῆς δ. φράσιν ostendit, quam lubrica sit et instabilis haec tota ratio dividendi; sed hoc relinquamus. G. Hermanni de hac re haec sunt verba[18]): *figg. sententiae sunt, quibus forma enuntiationum accommodate ad animi sensum mutatur.* Huic figurarum parti a quibusdam argumentandi quoque aliqua genera subiecta esse vidit iam Longinus[19]); usum autem earum maxime in confirmationis et refutationis partes cadere recte monet Blass.[20]). Idem[21]) in iudicio de Isocratis eloquentia ferendo dicit, non modo apud hunc, sed omnino apud illos veterrimos oratores hoc figg. genus paene nusquam inveniri, Demosthenem vero Cic. Brut. 141 (cf. or. 136) illuminandis sententiis praestare omnibus scribit ob eamque rem a doctis eum oratorum principem esse iudicatum. Hinc illam opinionem natam esse puto, quam etiam Volkm. tueri videtur, Demosthenem etiam Cicerone in hoc g. frequentiorem esse. Ego quidem arte tractandi et moderandi in plerisque figg. Demosthenem Ciceroni praestare existimo, frequentia hunc paene in omnibus illum superare reperio. Sed hoc planius fiet, si iam ad singulas formas exponenda aggrediemur. Ac primum omnia complectamur, quorum aqud veteres nomen

Homoeosis

exstat. Est autem h. *minus notae rei per similitudinem eius, quae magis nota est, demonstratio* vel, ut Polybii verbis utar, ὁμοίωσίς ἐστι λόγος, καθ' ὃν ὁμοιοῦμεν ἕτερον ἑτέρῳ[22]). Haec in tres species dividi solet εἰκόνα, quae Latine imago appellatur, παραβολήν, quae etiam similitudo sive collatio dicitur, παράδειγμα sive exemplum, quorum distinctio difficilis est. Sed primum veteres audiamus. Ac parabole a

---

[16]) Aquil. H. 23. [17]) Sp. III, 90. [18]) op. ac. I, 104, cf. Cornif. 4, 13, 18, Ps. Rufin. H. 59. [19]) Sp. I, 310; cf. Monse. D. 4, Volkm. Rhet. 416. [20]) III$_1$, 150. [21]) II, 167. [22]) Bed. H. 618, Sp. III, 106; cf. Tryph. 200, Coc. 239.

Tryph. definitur *λόγος διὰ παραθέσεως ὁμοίου πράγματος τὸ ὑποκείμενον μετ' ἐνεργείας παριστάνων*[23]), a Charis. *rerum aut administrationum genere dissimilium comparatio*[24]). Rei illustrandae causa Polyb. affert H. *O*, 624 *ἐν δ' ἔπεσ' ὡς ὅτε κῦμα θοῇ ἐνὶ νηῒ πέσῃσι λάβρον·* Tryph. *B*, 144 *κινήθη δ' ἀγορή, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης.* Dividitur autem p. rursus a Polyb.: *εἰσὶ δὲ τῶν π. αἱ μὲν ἀνταποδοτικαί, αἱ δ' ἀπόλυτοι·* illius formae exemplum citat H. *E*, 161 *ὡς δὲ λέων ἐν βουσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξει πόρτιος ἠὲ βοός, ὡς τοὺς ἀμφοτέρους ἐξ ἵππων Τυδέος υἱὸς βῆσε κακῶς ἀέκοντας*, huius *B*, 289 *ὥστε γὰρ ἢ παῖδες νεαροὶ χῆραί τε γυναῖκες ἀλλήλοισιν ὀδύρονται οἶκόνδε νέεσθαι.* Ap. Tryph. *γίνονται αἱ παραβολαὶ τετραχῶς, ἤτοι πάθους πάθει ἢ διαθέσεως δ. ἢ φύσεως φ. ἢ πράξεως π.* ac primae rationis exemplum est H. *ε*, 394: *ὡς δ' ὅταν ἀσπασίως βίοτος παίδεσσι φανήῃ πατρὸς καὶ ἑξῆς*, secundae *Γ*, 33: *ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη, ὡς αὖθις καθ' ὅμιλον ἔδυ κτά.* tertiae *Z*, 146: *οἵη περ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν*, quartae *Δ*, 67 *οἱ δ' ὡς ἀμητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισι κτά.* Aliam huius rei partitionem exhibet Coc. *εἰσὶ δέ τινες τῶν π., οἵτινες αὐξήσεις ἡδονῆς καὶ λύπης καὶ πάθους καὶ φόβου καὶ ἐννοίας παρέχουσιν· ἡδονῆς μέν, ὡς τε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας* (H. *Γ*, 23), *λύπης δέ, ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν, ὡς τῆς τήκετο καλὰ παρήϊα δακρυχεούσης* (*τ*. 205), *πάθους δέ, ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα κτά.* (*Δ*, 113), *φόβου δέ* (citatur *Γ*, 33 iam supra allatum), *ἐννοίας δέ. ὡς δ' ὅταν ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαίας κτά.* (*κ*, 410). Effertur autem p. per contrarium, per negationem, per conlationem, per brevitatem[25]); Quintil. similitudinum alias probationis gratia inter argumenta poni, alias ad exprimendam rerum imaginem compositas esse scribit[25]).

Imago porro sive icon definitur a Beda *personarum inter se vel eorum, quae personis accidunt, comparatio*, a Cic. invent. 1, 49 *oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem*, ab Herod. Sp. III, 104 *διαγραφὴ σωμάτων κατὰ μέρος*, a Polyb. *λόγος εἴδους εἴδει παραμεθεὶς ὁλοσχερῶς ἢ ἀπὸ μέρους*[26]). Cornif. eam sumi dicit aut laudis aut vituperationis causa; atque illius hoc exemplum exhibet: *inibat in proelium corpore tauri validissimi, impetu leonis acerrimi similis*; huius: *iste qui cotidie per forum medium tamquam iubatus draco serpit* etc. Herod. l. c. adhibet H. *B*, 478 *ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διῒ τερπικεραύνῳ, Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι*, Victorinus Verg. Aen. 1, 589 os umerosque deo similis; Tryph. l. c. addit: *παρέπεται τῇ εἰκόνι μέγεθος, σχῆμα, χρῶμα* et

---

[23]) Sp. III, 201. [24]) K. I, 277; cf. Cornif. 4, 45, 59, Polyb. l. c., Ruf. Sp. I, 468, Victorin. H. 239, Georg. 254, Bed. l. c. [25]) Cornif. l. c., Quintil. 8, 3, 72. [26]) Sp. III, 108; cf. Tryph. l. c. Quintil. 5, 11, 24, Cornif. 4, 49, 62, Rufin. H. 44, Victorin. ib. 228 et 239.

rursus distinguit quattuor formas: *εἰκονίζεται δὲ ἤτοι ὅλα πρὸς ὅλα οἷον περίφρων Πηνελόπεια Ἀρτέμιδι ἰκέλη. ἢ μέρη πρὸς μέρη* (ut *B*, 478), *σχῆμα δὲ πρὸς σ. οἷον ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων* (*B*, 87), *χρῶμα δὲ π. χ. οἷον ὡς δ᾽ ὅτε τίς τ᾽ ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ κτἀ.* (*Δ*, 141), *μέγεθος δὲ π. μ. οἷον Κύκλωπος γὰρ ἔκειτο μέγα ῥόπαλον παρὰ σηκῷ, ὡς ἱστὸς νηὸς ἐεικοσόροιο* (*ι*, 319). Herodiani et Polybii huius loci distinctiones negligamus, qui complura huc revocant, quae rectius aliis partibus accensentur. De imagine etiam Aristot. agit (Sp. I, 128) eamque a translatione sola comparativae particulae adiectione differre docet. Haec fere praecipiunt veteres de imagine et similitudine; nobis autem summa exoritur difficultas, si utramque hanc exornationem definitis terminis circumscribere velimus. Ex eis, quae modo adhibui, id quidem apparere videtur, parabolen contineri comparationibus administrationum et actionum, quae in dissimili genere versantur, imaginem autem ex corporum de simili g. sumptorum collatione constare; sed quid fiet de eis, quae nec in corporis nec in actionis rationem cadunt? Aliqui scriptores, qui de discrimine paraboles et imaginis egerunt, illam ab hac eo differre statuunt, quod parabole similitudinem pluribus verbis persequatur [27]), multi eas omnino non distinxerunt, ut Apsines, Rufus, Georg. Choerob.[28]), alii. Ego quia nec veteres in hoc g. nec recentiores quidquam firmum aut stabile praebent, et quia non multum interesse arbitror, ad omnem confusionem tollendam hanc distinctionem praetermittendam esse conseo.

Usus item et utilitas similitudinum ab aliis aliter describitur; ac Polyb. eas assumi dicit *αὐξήσεως ἢ ἐμφάσεως ἢ σαφηνείας ἕνεκα*, Quintil. praeclare repertas esse ad inferendam rebus lucem; Cornif. l. c. haec exhibet; *inventio similium facilis erit, si qui sibi omnis res animantis et inanimas, mutas et eloquentes, feras et mansuetas, terrestres et maritimas, artificiosas et natura comparatas, usitatas atque inusitatas frequenter ponere ante oculos poterit et ex his aliquam venari similitudinem, quae aut ornare aut docere aut apertiorem rem facere aut ponere ante oculos possit: non enim res tota totae rei necesse est similis sit, sed id ipsum. quod confertur, similitudinem habeat oportet.* Praeterea a Qintil.[29]) haec praecipiuntur: *in omni parabole aut praecedit similitudo, res sequitur, aut praecedit res et similitudo sequitur. sed interim libera et separata est, interim, quod longe optimum est, cum re, cuius est imago, conectitur, conlatione invicem respondente, quod facit redditio contraria, quae antapodosis dicitur.* Recte monet Kleutgen [30]): *Multa sunt apud primos auctores praeclara,*

---

[27]) Minucianus autem Sp. I, 419 habet: ἡ δὲ εἰκών ἐστι μὲν ἡ αὐτὴ τῇ παραβολῇ, ἐναργέστερον δὲ ποιεῖ τὸν λόγον, ὥστε μη μόνον ἀκούειν, ἀλλὰ καὶ ὁρᾶν δοκεῖν. Herod. l. c, cuius ὁμοίωσις nihil aliud est quam εἰκών, hanc a parabole eo differre dicit, quod sine redditione efferatur; cf. Demetr. Sp. III, 282 sq., Ernesti, lexic. technol. Gr 93 sq., Volkm. Rhet 380. [28]) Sp. I, 372, 468, III, 254. [29]) 8, 3, 77. [30]) p. 94.

quae postea frequentatione viluerunt, ut illud Vergilianum (Georg. 4, 511 sqq.): *Qualis populea maerens philomela sub umbra amissos queritur fetus, quos durus arator observans nido implumis detraxit; at illa flet noctem rumoque sedens miserabile carmen integrat et maestis late loca questibus implet* (cf. Soph. Ant. 424); *sed quid hodie hac similitudine magis vulgare?* Idem ib.: *habet s. plerumque hyperbolen, habeat certe amplificationem. Elocutio, ut in ornatu exquisito, diligentissime curanda est. Vitanda maxime verbositas; non ea tantum, quae inutiliter verba cumulat, sed illa etiam, quae rei partes omnes singilatim exsequitur. Sufficit paucis, sed lectis verbis ea perstringere, in quibus praecipua est similitudinis ratio.* Praeter haec de similitudine adhibenda eadem fere praescribuntur, quae iam supra (p. 28 sqq.) de translatione tractanda dicta sunt.

In Demosthenis et Cic. huius g. exemplis perlustrandis eam viam ingrediar, ut a simplicioribus ad maiora ascendam. Ac Dem. habet: V, 12 *ὥσπερ εἰς πρυτάνην*, XVIII, 322 *ὥσπερ θηρία*, ib. 263 *λαγὼ βίον ἔζης*, XIX, 328 *γέγονε πάνθ' ὥσπερ αἴνιγμα τῇ πόλει*, IX, 33 *ὥσπερ τὴν χάλαζαν ἔμοιγε δοκοῦσι θεωρεῖν*, XL, 59 *ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς μαρτυρεῖ*, de cor. 188 *κίνδυνον παρελθεῖν ὥσπερ νέφος*, ib. 309 *ῥήτωρ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας ὥσπερ πνεῦμ' ἐφάνη*, XLV, 57 *ὡσπερεὶ ῥᾴων ἔσομαι*, XIV, 30 *καὶ τὰς κρήνας καὶ τὰ φρέατα ἐπιλείπειν πέφυκεν*, de cor. 198 *ὥσπερ τὰ ῥήγματα καὶ τὰ σπάσματα, ὅταν τι κακὸν τὸ σῶμα λάβῃ, τότε κινεῖται*, IV, 40 *οὐδὲν ἀπολείπετε, ὥσπερ οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν, οὕτω πολεμεῖν. καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ πληγεὶς ἀεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται, κἂν ἑτέρωσε πατάξῃς, ἐκεῖσέ εἰσιν αἱ χεῖρες καὶ ἐξῆς*, XIX, 136 *ὁ δῆμός ἐστιν ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν πάντων, ὥσπερ ἐν θαλάττῃ πνεῦμα ἀκατάστατον, ὡς ἂν τύχῃ, κινούμενος. ὁ μὲν ἦλθεν, ὁ δ' ἀπῆλθεν.* quod exemplum Cic. in Planc. 15 ex parte expressisse videtur: *si campus atque illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant, tamen nos in impetu studiorum et motu temeritatis modum requiremus?* praeterea evolvi possunt VIII, 61, XX, 152, XVIII, 51, 122, 153, 194, 214, 227, 243, 298, XLV, 9, XXII, 70, III, 17, 33, I, 11, 15, IX, 29, 30, 69, IV, 26, 39, XIX, 96, XXIII, 201, II, 10, 21.

Ex Cic. primum illa simplicissima ponam exempla, quae saepe ad translationis audaciam mitigandam adhibentur: Ph. XIII, 12 *patrimonium circumplexus quasi draco*, V. 1, 44 *eius modi fuit, non ut legatus populi R., sed ut quaedam calamitas pervadere videretur* (cf. ib. 96), Balb. 61 *sententiam tamquam navigium atque cursum e rei p. tempestate moderari*, dom. 4 *tamquam tempestatum sic sententiarum commutatio*, Pis. 22 *quod quasi aliquod Lapitharum convivium ferebatur*, quod iam ad similitudinem exempli sive *παραδείγματος* accedere videtur, Mur. 57 *videtur praetorius candidatus in*

consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere, Quintil. (8, 3, 81) citat fr. 1, 6 *quo ex iudicio velut ex incendio nudus effugit;* praeterea relegi possunt: Caecil. 50; 57; V. 2, 29; 191; 187; 4, 79; 5, 2; 28; 3, 84; 1, 153; Rosc. A. 8; 147; 79; Cluent. 36; 41; 93; 88; Mur. 23; 25; 26; Cat. IV, 9; I, 4; l. a. II, 50; Flacc. 54; har. r. 40; Caecin. 100; dom. 75; 106; Sest. 19; 85; Vat. 4; prov. c. 9; 31; Balb. 20; Pis. 19; Planc. 74; Ph. II, 48; V, 35; VI, 6; XIII, 47. Longius ducitur similitudinis ratio Sest. 45: *si mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti hoc accidisset, ut multi ex multis locis praedones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedidissent* etc. Poetico iam paene spiritu esse scribit Quintil. (8, 3, 80) Mur. 36: *ut tempestates saepe certe aliquo caeli signo commoventur, saepe improviso nulla ex certa ratione obscura aliqua ex causa concitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas, quo signo commota sit, saepe ita obscura est, ut sine causa excitata videatur.* Etiam sine particula comparativa saepe simile adiungitur, ut Ph. XI, 11 *sexta palma urbana etiam in gladiatore difficilis;* quod tamen etiam allegoriae subiici potest. Praeterea conferri possunt: Rosc. A. 56, quod ab Halmio reprehenditur, 75; 151; Caecil. 48; V. 2, 7; Cluent. 57; 67; 146; Mur. 29; har. r. 59; Planc. 17; 62; Sest. 24; 68; Rab. P. 7; Ph. III, 35; IV, 11; XIV, 18 et ea, quae iam supra in adminiculis metaphorae (p. 30) relata sunt. In his, quamquam neque figuris sunt accensenda neque tropis, ut veteres quidam rhetores putaverunt, sed artificiosa quaedam argumentandi genera habenda sunt, tamen quia fere plurimum splendoris orationi conferunt et velut stellae quaedam ex cetera dictione elucent, aliquanto diutius mihi commorandum esse existimavi.

Etiam exemplum sive *παράδειγμα* cum Quintil.[31]) rectius ad ea argumenta revocamus, quae non ex ipsa, quae agitur, causa, sed extrinsecus sumuntur. Definitur autem a Cornif.[32]) *alicuius facti aut dicti praeteriti cum certi auctoris nomine propositio*, a Quintil. l. c. *rei gestae aut ut gestae utilis ad persuadendum id, quod intenderis, commemoratio*, si Cic.[33]) sequimur, *e. est, quod rem auctoritate aut casu alicuius hominis aut negotii confirmat aut infirmat*[34]). Beda l. c. citat Matth. 6, 26 *Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt neque metunt,* quod rectius similitudini subiicitur, et Luc. 17, 31 *memores estote uxoris Loth.* Rufiniani[35]) sententia *παραδείγματος triformis est ratio. Nam exemplum aut personas exhibet sine sermone, aut sermonem sine personis aut simul utrumque;* Kleutg.[36]) distinguit

[31]) 5, 11, 1. [32]) 4, 49, 62. [33]) inv. 1, 49. [34]) cf. Herod. Sp. III, 104, Aristot. Sp. I, 9, 12, 38, 97, 156, Anaxim. 195, Anon. 322, Minuc. 418, Ruf. 468, Polyb. III, 107, qui ei ἐπαγωγήν (ἐ. δέ ἐ. ὅταν τι τῶν ὁμοίων προθέντες ἐπάγωμεν, εἰς ὃ συμπείθομεν, οἷον Hom. Ψ, 315 sqq.) subiungit. [35]) H. 44. [36]) p. 291.

exempla a minore, a maiore, a pari, a contrario. De eius a similitudine differentia profert Apsines[37]): *ἡ μὲν παραβολὴ ἀπ᾽ ἀψύχων ἢ ζώων ἀλόγων λαμβάνεται — τὰ δὲ παραδείγματα ἐκ γεγονότων ἤδη προσώπων·* cf. Tryph. l. c. Assumi autem exemplum scribit Cornif. isdem de causis, quibus similitudinem, Graeci fere *προτροπῆς ἢ ἀποτροπῆς ἕνεκα*; Kleutg. dicit: *vis persuadendi exemplis universe inest eadem, quae similibus quibusvis et comparatis; sed huic loco propria sunt ea, quae insuper auctoritate flectunt*; Cic.[38]): *commemoratio antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert et fidem.* Quamquam etiam hoc genus non numquam pertenui limite a ceterarum similitudinum ratione discernitur, tamen communem eius doctrinam teneamus et rebus gestis id contineri censeamus. A Rufo et Kleutg. laudatur Dem. III, 23 *σκέψασθε, ἅ τις ἂν κεφάλαια εἰπεῖν ἔχοι τῶν τ᾽ ἐπὶ τῶν προγόνων ἔργων καὶ τῶν ἐφ᾽ ἡμῶν. ἔσται δὲ βραχὺς — λόγος. οὐ γὰρ ἀλλοτρίοις ὑμῖν χρωμένοις παραδείγμασιν εὐδαίμοσιν ἔξεστι γενέσθαι καὶ ἐξῆς.* Cum hoc loco Demosthenico contulerim Ciceronis illud Ph. VIII, 23: *Pro di immortales! ubi est ille mos virtusque maiorum? C. Popilius apud maiores nostros cum ad Antiochum regem legatus missus esset et verbis senatus nuntiasset ut ab Alexandria discederet, quam obsidebat, cum tempus ille differet, virgula stantem circumscripsit dixitque se renuntiaturum senatui, nisi prius sibi respondisset quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione exisset. . Praeclare: senatus enim faciem secum attulerat auctoritatemque populi R.* A. minore ductum est Cat. I, 3 *an vero P. Scipio Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum rei p. privatus interfecit: Catilinam, orbem terrarum caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus?* (cf. Mil. 72; Pomp. 11); a maiore ap. Cic. permulta arcessuntur ut V. 4, 115 et Mil. 7 etc.; a pari repetitum est Mur. 66: *huiusce modi Scipio ille fuit, quem non poenitebat facere idem, quod tu* etc. a contrario sumptum est V. 4, 77: *quam dissimilis hic dies illi tempori videbatur! Tum imperator populi R., vir clarissimus, deos patrios reportabat Segestanis ex urbe hostium recuperatos: nunc ex urbe sociorum praetor eiusdem populi turpissimus eosdem illos deos nefario scelere auferebat* (cf. Cluent. 134). Saepe etiam plura exempla conglobantur, ut Mil. 8 *nisi vero existimatis dementem P. Africanum —. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius aut P. Nasica aut L. Opimius aut C. Marius aut me consule senatus non nefarius haberi* etc. (cf. Cat. I, 3 sq.); *quaedam autem*, ut monet praeterea Quintil., *tota narrabimus* ut Cic. Mil. 9, *quaedam significare satis erit* (ib. 8), *prout nota erunt, vel utilitas causae aut decor postulabit* (cf. Kleutg. l. c.). Qui etiam plura requirit, eum revoco ad V. 2, 29; 51; 109; 118; 136; 159; 191; dom. 87;

---

[37]) Sp. I, 372. [38]) or. 120.

101; 120; 123; 136; Ph. V, 48; VIII, 14; 15; XIV, 23 etc. Dem. I, 8, IV, 3, 24, 35, 34, VIII, 74, 59, IX, 11 sq. 56 sq. XVIII, 319, XXI, 58 sq. 71, 143 etc. Sed iam ad reliquas formas, quibus res vehementius sub oculos subiiciuntur, proficiscamur. Atque *προσωποποιΐα*, quae a Graecis, sive

Conformatio,

quae a Cornif.[39]) appellatur, est, *cum aliqua, quae non adest, persona confingitur, quasi adsit, aut cum res muta aut informis fit eloquens et forma ei et oratio attribuitur ad dignitatem accommodata aut actio quaedam*, vel ut Apsinis[40]) verbis utamur, *π. ἐστι παραγόμενον πρόσωπον τὸ οὐκ εἰς τὸ δικαστήριον παρόν, ἀποδημῶν ἢ τεθνεώς, ἢ στρατηγία, ἢ νομοθεσία, ἢ ἕτερον τῶν τούτοις παρεοικότων.* Rutil.[41]) eam praecipue poetis tribuit, qui *humana figura produxerunt personas, quae in veritate artis et voluntatis sunt, non personae.* Alia est vel potius ad alios fines spectat ea prosopopoeia, quae inter rhetorum progymnasmata invenitur[42]). Cic.[43]) monet summissus orator *non faciet rem p. loquentem nec ab inferis mortuos excitabit*, Quintil.[44]) ad conformationem recte tractandam *magna quaedam vis eloquentiae desideratur. falsa enim et incredibilia natura necesse est aut magis moveant, quia supra vera sunt, aut pro vanis accipiantur, quia vera non sunt.* Secundum Apsinem[45]) *κινεῖ ἔλεον λόγος πρὸς τόπον τινὰ γιγνόμενος*, cuius exemplum adhibet Soph. Oed. r. 1391 *ἰὼ Κιθαιρών, τί μ᾽ ἐδέχου; τί μ᾽ οὐ λαβὼν ἔκτεινας;* Simplicissima huius rei forma mihi ea esse videtur, qua secunda persona usurpatur in eis, quae non ad certam personam convertuntur, ut Cic. Cat. II, 18 *tu agris, tu aedificiis, tu argento — ornatus et copiosus sis, et dubites de pessessione detrahere, adquirere ad fidem?* cf. Rab. P. 12; Ph. V, 25. Patria sic conformatur, quae tamen conformatio fere forma condicionali mollitur, Cat. I, 27 *si mecum patria, si Italia, si res p. loquatur: M. Tulli, quid agis?* etc. ib. 18 patria *tecum sic agit et quodam modo tacita loquitur* etc.; mortuus homo ab inferis excitatur Cael. 33 sq.: *existat Caecus ille; qui sic aget ac sic loquetur: Mulier, quid tibi cum Caelio?* etc.; absens producitur ib. 36: *quid tumultuaris, soror?* Similiter V. 5, 136 pater Verris filium reprehendens inducitur, ib. 1, 77 absens Dolabella compellatur, saepissime in Philippicis Antonius; cf. V. 3, 124; Mil. 102; Ph. III, 27. Caecil. 19 Sicilia loquens fit: *S. tota, si una voce loqueretur, hoc diceret* etc.; cf. Planc. 12; 92. Dem. a tali audacia plane abhorret omninoque talia illa aetate non-

---

[39]) 4, 53, 66. [40]) Sp. I, 386; cf. Alex. ib. III, 19, Demetr. 319. [41]) H. 15. [42]) vide Nicol. Sp. III, 489, Aphthon. ib. II, 44 sq., Theon. ib. 115 et 120. [43]) or. 85. [44]) 9, 2, 33. [45]) Sp. I, 399; cf. Phoeb. ib. III, 52, Alex. 19, Demetr. 319, Zon. 162, Anon. 177, Aquil. H. 23.

dum in usu fuisse videntur; cf. Blass. III, 154. Postremo addendum est, hanc dicendi formam cognatione quadam eam attingere translationem, qua animata pro inanimis ponuntur. Conformationi porro affinis est

Apostrophe,

vel potius prosopopoeia fere simul est apostrophe, quia hic quoque oratio a iudice vel eis, apud quos habetur, averti solet. Nam hac fig. ea, *quae ad alios dicta volumus, ad alios dicere videmur*[46]). Et quia haec aversio orationis non numquam etiam ad res inanimas fit, in exemplis huius g. inter conformationem et apostrophen nihil aliud interest, nisi quod in illa ipsis rebus eius g. sermo attribuitur et mens, in hac oratio ad eas convertitur. Kleutg.[47]) hanc orationis aversionem quattuor modis fieri scribit, cum orator aut accusatorem vel reum vel unum aliquem ex audientibus alloquatur, aut Deum vel superos compellet, aut ad mortuos sermonem convertat aut urbes, patriam, res denique inanimas alloquatur. Fictio autem vel figurandi vis hic in eo consistere videtur, quod oratio, quamquam averti videtur, tamen in eos intenditur, quorum docendorum vel commovendorum causa habetur, atque fere etiam maiore vi et impetu, quam si in ipsos dirigeretur. Causae autem huius rationis, cum sint variae, ex singulis exemplis repetendae sunt. Herod. quidem[48]) citat H. *Π*, 104 *ἔνθα κέ τοι, Μενέλαε, φάνη βιότοιο τελευτή*, deinde addit *τὸν περὶ αὐτοῦ λόγον ἀφεὶς εἰς τὸν πρὸς αὐτὸν ἐτράπη*. Haec quamquam enallage personae tantum et grammatica quaedam fig. est, tamen interdum etiam rhetoricam induit vim et mire movet, ut Eur. Phoen. 884 *σὺ δ' ὦ τάλαινα συγκατασκάπτει πόλι*, Verg. Georg. 2, 170 *Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar*, Dem. XVIII, 243 *ἐμβρόντητε, εἶτα νῦν λέγεις;* Cic. Flacc. 63 *adsunt Lacedaemonii, adsunt ex Achaia legati, neque vero te, Massilia, praetereo.* Alex. l. c. affert H. *B*, 284, ubi Ulixes ea, quae ad Graecos reprehendendi causa conversa vult, Agamemnoni dicit[49]); ap. Phoeb. l. c. eis verbis, quae ad magistrum diriguntur, oblique eius discipuli castigantur[50]); acutissimum huius g. exemplum iudicat Aquila Dem. VI, 20, *ubi quibus verbis populum Atheniensem monitum vult, ea se dicit apud Argivos et Messenios concionatum esse*[51]). Saepissime oratio, quae iudicis docendi causa instituitur, aut ad accusatorem aut ad reum aut ad advocatos aut ad aliquem unum e iudicibus convertitur, ut Rosc. A. 144 ad Chrysogonum, Cael. 37 ad Caelium; non

---

[46]) Aquil. H. 25; cf. Alex. Sp. III, 23, Phoeb. 49 et 54, Zon. 163, Anon. 178, Dzial. 26, Monse. D. 20 sqq. [47]) p. 83. [48]) Sp. III, 88. [49]) Ἀτρεΐδη, νῦν δή σέ, ἄναξ, ἐθέλουσιν Ἀχαιοὶ πᾶσιν ἐλέγχιστον θέμεναι μερόπεσσι βροτοῖσιν κτά. [50]) σπουδάζουσιν οἱ σοὶ ἑταῖροι τῇ ἀταξίᾳ ταύτῃ καταλῦσαι τὴν δόξαν σου. [51]) Πῶς γὰρ οἴεσθ', ἔφην, δυσχερῶς ἀκούειν Ὀλυνθίους, εἴ τίς τι λέγοι κατὰ Φιλίππου κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους, ὅτ' Ἀνθεμοῦντα μὲν αὐτοῖς ἀφίει κτά.

numquam etiam causa talis apostrophes additur, ut Rosc. A. 84 *tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes ac te adversarium profiteris;* praeterea vide Mil. 101 *vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro re p. sanguinem effudistis* etc.; cf. dom. 113; Ph. XI, 8; Cluent. 65; V. 4, 79; 69; 3, 212; Mur. 81; har. r. 11; 15; 21; Cael. 35. In Lig. 2 hanc apostrophen, id quod raro fit, iam exordium exhibet. Dem. non numquam brevi interrogatiuncula adversarium appellat seque eius attentionem efflagitare fingit, ut XVIII, 112 *ἀκούεις Αἰσχίνη;* cf. XXIV, 162, 195, de cor. 290, in Lacr. 45, 46. Etiam contumeliosae appellationes in huius g. apostrophe saepe ponuntur, ut Dem. XXII, 66 *ὦ βδελυρέ*, XVIII, 244 *ὦ κατάρατε·* cf. ib. 290, 312, XXIV, 107, 166, 198, XIX, 313, in Pant. 30. A Cic. sic tractatur V. 1, 40 *o scelus, o portentum in ultimas terras exportandum!* cf. dom. 47; Ph. I, 15; X, 18 etc. Etiam deorum invocationes huc spectant, quae ad animos iudicum concitandos assumuntur, ut Cic. V. 5, 184 sqq. *nunc te, Jupiter — teque, Juno — teque, Minerva — teque, Latona et Apollo et Diana — teque, Mercuri — teque, Hercules — teque, sanctissima mater Idaea — vosque, Castor et Pollux omnesque di, qui vehiculis tensarum sollemnes coetus ludorum initis — teque, Ceres et Libera, vos etiam atque etiam imploro et appello*; cf. Cat. I, 33; dom. 144; Demosthenis huius g. nobilissimum est illud de cor. 1 *πρῶτον τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις κτέ.* cf. ib. 8 et 141. Etiam iusiurandum rhetoricum, obtestationes, imprecationes, in quantum simul habent aversionem, huc cadere videntur; quaedam huius g. formulae ex sermone vulgari petitae et multo usu ita detritae sunt, ut iam pro adverbiis accipi possint, ut ap. Cic. pro di immortales, o di imm., per deos imm., medius fidius, etc. ap. Dem. *νὴ Δία, νὴ τοὺς θεούς, μὰ τὸν Δία, μὰ τοὺς θ., πρὸς θεῶν, πρὸς Διός, πρὸς Δ. καὶ θεῶν, ὦ πρὸς τοῦ Δ., ὦ πρὸς θεῶν, ὦ Ζεῦ, ὦ Ζ. καὶ θεοί.* Rariora sunt ap. Dem. *μὰ τὸν Δία καὶ θεοὺς πάντας* (XXIII, 188 et p. Phorm. 53), *νὴ τὸν Ἡρακλέα καὶ πάντας θεούς* (de cor. 294), *νὴ τὴν Δήμητρα* (XIX, 262), *νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Ἀθηνᾶν* (XXI, 198), *ὦ γῆ καὶ θεοί* (cor. 139, 158, 294 etc.), *ὦ πάντες θεοί* (VI, 37, XVIII, 324), *Ἡράκλεις* (IX, 31 et XXI, 66). Ex Cic. nota: *pro sancte Juppiter* (Ph. II, 32), *o Fides* (ib. VI, 11), *pro deum hominumque fidem* (Rosc. C. 23; Caecil. 7; V. 3, 137 etc. cf. Font. 4), *o di boni* (Sest. 19), *di boni* (Ph. V, 14; 25; X, 7 etc.) In Dei. 21 cum aversione dicitur: *di te perduint, fugitive;* sed locos eius g. ut V. 3, 81 *di immortales faxint, ne sit alter*, Ph. VI, 12 *malam quidem illi pestem!* ib. XI, 11 *hoc quidem detestabile omnem avertat Juppiter!* etc., qui non cum aversione coniuncti sunt, hic non considerandos esse censeo. Nam *ἀράν, εὐχάς*, precationes, exsecrationem, quae Jul. Rufin. (H. 42 et 45) inter figg. numerat, hinc reiicienda esse puto. Jurisiurandi clarissimum exemplum legitur ap. Dem. de cor. 208 *οὐκ ἔστιν ὅπως ἡμάρτετε–μὰ τοὺς Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων καὶ τοὺς ἐν Πλα-*

ταιαῖς παραταξαμένους καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας κτἀ.[52]). Summa autem est audacia, cum oratio ad res inanimas convertitur, ut Mil. 85 *Vos iam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro;* Balb. 13 *vos denique, mutae regiones, imploro, et sola terrarum ultimarum, vos, maria, portus, insulae, litora!* cf. Flacc. 63; Sest. 45. In Cael. 63 dicitur: *o magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia calliditatem, sollertiam facile se per se ipsa defendat!* Sed talia etiam ei fig. subiici possunt, qüae a Cornif.[53])

Exclamatio

appellatur et sic definitur: *e. est, quae conficit significationem doloris aut indignationis alicuius per hominis aut urbis aut loci aut rei cuiuspiam conpellationem.* Hic verba »doloris aut indignationis« non magno opere premenda esse censeo, sed maioris est momenti »significatio«. Neque enim eorum sententiae accedere possum, qui in his ipsis affectibus rationem figurandi putant esse positam[54]) — iam enim supra monui, dividendarum figg. causam non ex animi affectibus repetendam esse — sed si qua in exclamatione vis figurationis inest, in ea re eam niti puto, quod aut orator orationem ab iudice avertat — atque hac ex parte ad praecedentem fig. revocanda est — aut vehementer commotus v i d e r i vult. Recte igitur et a Quintil. vera et a r t e c o m p o s i t a (i. e. figurata) distinguitur, et a Kleutg. monetur[55]), ut hic usus moderatus sit, quia praecipue vehementiores animi motus exprimat. Atque eis exemplis, quae iam supra in apostrophe commemorata sunt, haec adiungam: Cic. V. 3, 176 o consuetudo peccandi, quantum habes iucunditatem improbis etc. Cat. I, 9 o di immortales? ubinam gentium sumus? étc. (cf. V. 5, 35); Flacc. 102 o nox illa, quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisti etc.; cf. Ph. XIV, 31; notissimum huius g. est illud »o tempora! o mores!« (V. 4, 56; Cat. I, 2; dom. 137; Dei. 31). A talibus Demosthenis oratio plane abhorret neque habet, quod conferatur illi Ciceronis et Latinorum formae, cum exclamatio per accusativum effertur, nisi XIX, 65 *θέαμα δεινὸν καὶ ἐλεεινὸν* huc trahere velis. Est enim Dem. omnino sanior et pressior et siccior quam Cic. omnemque redundantiam repudiat; huc accedit, quod talia illo tempore omnino ab oratoribus non factitabantur ipsasque illas deorum invocationes et obtestationes, quas supra attuli, a Dem. primo adhibitas esse orationi testis est Blass. (III₁, 153). Cic. autem in hoc g. frequentissimus est idque saepe etiam condit ironia, ut Pis. 58 o stultos Camillos, Curios, Fabricios, amentem Paullum, rusticum

---

[52]) cf. περὶ ὕψους Sp. I, 267. [53]) 4, 15, 22; huc etiam Apsinis (Sp. I, 406) δεινώσεις, σχετλιασμοί, τὰ ἀνακλητικὰ spectant, quae πάθος ποιοῦσι. [54]) cf. Mons. D. 14. [55]) 9, 2, 27, p. 87.

Marium, nullius consilii patrem horum —! cf. Ph. XIII, 4; Cael. 63 etc. Praeterea vide Ph. VII, 14 heu me miserum, quocum confer Dem. XXIII, 210 *οἴμοι*; V. 5, 62 huncine hominem! hancine impudentiam! hanc audaciam! civitatibus pro numero militum pecuniarum summas describere! cf ib. 100; Cat. II, 14 etc. sed haec hactenus. Sequenti capite breviter et strictim omnia percurram, quorum apud veteres technographos nomina inveniuntur

Notatio, descriptio,

deformatio, effiguratio, demonstratio, effictio, illustratio, evidentia, sermocinatio, sub oculos paene subiectio, *ἠθοποιΐα, διατύπωσις, ὑποτύπωσις, χαρακτηρισμός* (*εἰκονισμός, εἰκονογραφία*), *ἐνάργεια, λεπτολογία, φαντασία, ἔκφρασις* etc. Atque *ἠθοποιΐα ἐστίν, ὅταν ὑπάρχοντα πρόσωπα τιθέντες λόγους τινὰς αὐτοῖς περιτιθῶμεν πρὸς τὸ πιστοτέρους αὐτοὺς δόξαι εἶναι ἢ εἰ αὐτοὶ ἐλέγομεν αὐτοὺς* (Alex. 21); cui definitioni apte convenit locus ille Demosthenicus III, 34 sqq., ubi ea, quae ipse Athenienses monere vult, et offensionis vitandae et auctoritatis augendae causa persona universae Graeciae supposita profert. Kleutg. (83) ita illam definit, ut sit *vitae ac morum alicuius ad vivum expressio;* cf. Cornificii notationem (4, 50, 63), eiusd. (4, 52, 65) sermocinationem, Rutilii (H. 16) *χαρακτηρισμόν* [56]). Est huic dicendi formae quaedam cum prosopopoeia propinquitas et interdum cum ea confunditur; qua re inter se differant, docet Aquila (H. 23): *ibi* (in prosop.) *personas fingimus, quae nusquam sunt, hic certis quibusdam personis verba accommodate adfingimus vel ad improbitatem earum demonstrandam vel ad dignitatem.* Figuris autem *ἠ.* mea quidem sententia accenseri non potest, nisi quatenus orator sermonibus, quos referre videtur, non tam id agit, ut verba, quem ad modum dicta sunt, accurate referat, quam ut eis quasi paucis lineamentis morum et naturae alicuius imaginem adumbret. Tractatur autem magna varietate, cum aut verba finguntur, quae adversarius dicere debuit, ut Cic. Quinct. 53 *Horae duae fuerunt; Quinctius ad vadimonium non venit: quid ago?* etc. cf. Dem. XIX, 209, 124, 109; aut orator iudicibus praeit verbis, quae adversario opponant ut XIX, 335 sq. cf. ib. 237, Mid. 204, XLV, 87, aut praedicit, qui sermones futuri sint, si iudices perperam iudicent ut XIX, 229 sqq. aliaque id genus. Atque omnino Dem. in talibus summa divinitate versari solet [59]), ut VIII, 31 *ληρεῖτε, Ἀθηναῖοι· πάντων τῶν κακῶν Φ. ἐστ' αἴτιος κτά.* III, 22 *τί βούλεσθε; τί*

---

[56]) cf. Isid. H. 520 sq. Tiber. Sp. III, 63, Quintil. 9, 2, 58, Rutil. H. 12; eodem fere sensu, sed longe alia mente hanc rem tractant progymnasmatum scriptores Hermog. Sp. II, 15, Aphthon. ib. 44, Nicol. Soph. III, 488. [59]) cf. Kleutg. l. c.

γράψω; τί ὑμῖν χαρίσωμαι; XXIV, 94 *Τιμοκράτους νόμος ἐστὶ παρ᾽ ἡμῖν· ἀναμεῖναι οὖν τὴν ἐνάτην πρυτανείαν·* cf. VIII, 27, 52, 68, IX, 68, IV, 10, XVIII, 259, XXIV, 99, XIX, 242 (ubi D. dicit, quae Aeschines protulerit ad suam personam describendam), 25, 187, 188, 189, 197, 283, XX, 39, XXI, 136, 151, 209, 216, in Pant. 52, LIV, 35, LV, 5. Etiam Cic. in his satis est frequens: Mur. 38 *gravis est illa oratio: »Me saucium recreavit: me praeda donavit«* etc. cf. ib. 21; 45; 51; 61; 62; in V. 1, 103 sermones inducuntur querentium, quod suas iniurias praetermittat: *de illo nihil dixit, in quo ego interfui* etc.; etiam cum ironia saepe iungitur, ut Rosc. C. 49 *Ego vero cupide et libenter mentiar tua causa et, si quando me vis peierare, ut paululum tu compendii facias, paratum fore scito* etc. cf. praeterea Quinct. 55; Rosc. A. 138; V. 1, 137; 3, 96; 4, 45; 5, 118; l. a. II, 84; Flacc. 22; dom. 29; Sest. 20; Pis. 59; Mil. 63; 72 sqq. 77; 93; Ph. II, 70; 72; VI, 16 etc. Interdum talibus iustum diverbium conficitur, ut Cic. Rab. P. 17 *Tam es tu iudex quam ego. Ita est, sed tu istud petisti, ego hoc cogor* etc. cf. ib. Mil. 60. Dem. in Pant. 42, in Zenoth. 15; sed de hac re alio loco copiosius agetur. Quin etiam cogitationes et deliberationes tali modo informantur, quod a Rufin.[60]) *διαλογισμὸς* appellatur, ut Cic. Cluent. 70 *ad omnem malitiam versare suam mentem coepit: Ego dem iudicibus? mihi ipsi igitur praeter infamiam quid quaeretur?* etc. cf. V. 5, 104; 1, 142; Dem. XIX, 320.

Neque tamen solum dictis, sed etiam factis aliquibus et quia *vultus* et ipse *sermo quidam tacitus mentis est* (cf. Pis. 1), facie quoque et toto habitu homines describuntur. Huc spectat Cornificii effictio (4, 49, 63), *cum exprimitur verbis corporis cuiuspiam forma.* Ciceronis huius g. exempla pleraque longiora sunt, quam ut exscribantur; Pis. 67 ex parte referam: *nihil apud hunc lautum, nihil elegans, n. exquisitum — exstructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida* etc. ironiam habet Quinct. 39: *saepe, ut fit, cum paratus meditatusque venisses, homo timidus, virginali verecundia, subito ipse te retinebas; excidebat repente oratio* etc. cf. Rosc. A. 135; V. 2, 108; 3, 31; 86; 161; Sest. 18 sq. Cluent. 54; Cat. II, 22; Caecil. 45. Ap. Dem. legitur huius g. exemplum in XIX, 314: *τὰς ὀφρῦς ἀνέσπακε κἂν »ὁ γεγραμματευκὼς Αἰσχίνης« εἴπῃ τις, κακῶς φησιν ἀκηκοέναι, καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται θοἰμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν, ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ, τὰς γνάθους φυσῶν κτἀ.* cf. de cor. 258 sqq.

Neque vero solum homines eorumque natura et mores sic effinguntur, sed etiam rerum forma, et quae concitatae et quae quietae sunt,

[60]) II. 43 hic ita fit, *cum quis secum disputat et volutat, quid agat vel quid agendum putet;* cf. Ernesti Lex. technol. Gr. 78.

saepe ita exprimitur, ut cerni potius videantur quam audiri, velut ap. Cic. l. a. II, 53 *ponite ante oculos vobis Rullum, inter nostra atque hostium castra hasta posita auctionantem;* Mil. 54 *si haec non gesta audiretis, sed picta videretis* etc.[61]); cf. Rosc. A. 98; Balb. 47; Mil. 79; Dei. 20; 40; Ph. XI, 7; XII, 14; Dem. XIX, 65 et illum locum clarissimum XVIII, 169. Haec et similia a veteribus *ὑποτύπωσις*, *διατύπωσις*[62]), *ἐνάργεια*[63]), *ἔκφρασις*[64]), demonstratio[65]) etc. appellabantur. Alex. Sp. III, 18 sq. affert exemplum *λεπτολογίας*, in quo orator minimis quibusque rebus persequendis tarditatem et moram efficacissime quasi depingit; cf. Aquilae (H. 23) *λεπτολογίας* exemplum ex or. Cic. p. Gallo fr. 1. Etiam praesens historicum, quo res olim gestae ita proferuntur, quasi nunc maxime agantur, huc trahendum est, ut V. 5, 86 *egreditur in Centuripina quadriremi Cleomenes e portu, sequitur Segestana* etc. In Rosc. A. 110 cum hac fictione etiam infinitivus, qui dicitur, historicus coniungitur: *monet, ut provideat —: ostendit sese capitis periculum aditurum: illum acuere, hos fallere: illum monere, hisce spem falsam ostendere* etc. Ph. VII, 1 *apud alterum uxor, liberi: alter quotidie litteras mittere, accipere, aperte favere Antonio.* Cf. V. 4, 39 sqq. 33; 52; 63; 66; 75; 146; 149; 5, 16 sq. 100; 106; 141; I, 25; 1, 66; 67; 2, 12; 55; 60; 75; 134; 187; 188; 3, 61; 62; 137; Rosc. A. 28; Cluent. 59; 177; Sest. 74; Pis. 69. Summa vero audacia est, cum ea, quae futura sunt aut absentia, orator videre sibi videtur, ut Cic. Cat. IV, 11 *videor mihi videre hanc urbem subito uno incendio concidentem; cerno animo sepulta in patria insepultos acervos civium* etc. In cod. Eckst. H. 73 hic usus *ἰδέα* appellatur, ab auctore libri *περὶ ὕ.* (Sp. I, 264, cf. ib. 266) *φαντασία*; ib. adhibetur Dem. XXIV, 208; cf. Quintil. 6, 2, 29 sq. In Cic. Ph. XII, 26 de re futura sic agitur, quasi iam perfecta sit et peracta. Sed his satis, ut opinor, explanatis

De interrogatione rhetorica

agamus. Atque ea, quae a veteribus de hoc loco sane amplo et multiplici praecipiebantur, nihil paene mihi afferre videntur ad eum explicandum. Nam illi totum genus in duas formas *ἐρώτημα* et *πύσμα* diviserunt, quas Aquila (H. 25) eo differre scribit, quod ad *ἐρώτημα* sive interrogatum una voce responderi possit, vel a negante vel a confitente: *πύσματι* autem sive quaesito occurri nisi pluribus non possit[66]). Videntur

---

[61]) vide Quintil. 9, 2, 40 et Cic. de or. 3, 202 *sub aspectum paene subiectio.* [62]) Sp. III, 180 habet Anon.: δ. ἐστι λόγος διηγηματικὸς ὑπ' ὄψιν ἄγων καὶ οἱονεὶ ζωγραφῶν τὰ πάλαι ποτὲ γενόμενα. [63]) Tryph. Sp. III. 199. [64]) Theon. ib. II, 118. [65]) Cornif. 4, 55, 68. [66]) Etiam Quintiliani (9, 2, 6) verba *interrogare vel percontari* ex hac inepta ratione nata sunt; cf. Alex. Sp. III, 24 sq. Phoeb. 53, Zon. 163, Anon. 179, cod. Eckst. H. 75 sq. etc.

igitur illi non vidisse aut certe non satis attendisse, hic non id agi aut quaeri, utrum responsio longior an brevior requiratur, sed id interrogari solere, quod negari non possit, invidiae gratia aut miserationis aut indignationis aut admirationis. In hoc ipso hic vim figurationis niti existimo, quod orator hac ratione utatur, cum res sit certissima. Neque igitur hic sciscitandi causa interrogatio adhibetur, sed est genus acrius et vehementius affirmandi, cum is, qui dicit, rogando quasi intelligentiam et sensum communem imploret eique rem, quam profert, aestimandam permittat, ut Cic. Arch. 30 *an vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in re p. atque in his periculis laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur?* Id igitur sit fixum et statutum, interrogationem, quatenus sibi vim et rationem figurae asserat, in eis adhiberi, quae aut per se omnem omnino dubitationem excludant aut certe orator ita existimari velit. Verum si, quod item saepe fit, ad quaesitum iustum redditur responsum, ea non iam interrogatio rhetorica, quae proprie dicitur, esse videtur, sed talis dicendi formae vis figurandi, si quidem in figg. cadit, in eo posita est, quod quasi actio quaedam scenica et diverbium effingi et orationi perpetuae intexi videtur, ut illo loco Ciceroniano Rosc. A. 54 *Exheredare filium voluit. Quam ob causaum? Nescio. Exheredavitne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cui dixit? Nemini* (cf. Quinct. 79 etc.). Sed iam earum interrogationum usum breviter illustrabo — nam omnia exempla indicare vel exscribere nec attinet nec fieri potest propter eorum multitudinem — quae pro simplici affirmatione ponuntur. Neque tamen, ne ligna in silvam videar portare, quia iam vir doctissimus Seuffertus in sua Schola Latina unius cuiusque formae usum et utilitatem accuratius persecutus est, eandem sequar rationem, sed doctrinae tantum, quam modo constitui, lucem affèrre studebo.

Ac Demosthenis propriae sunt quaedam breves interrogatiunculae, quae ab eam causam assumi videntur, ut rei modo prolatae omnis dubitatio praecidatur, ut XVIII, 47 *ἀλλ' οὐκ ἔστι ταῦτα· πόθεν;* XXI, 217 *πῶς γάρ;* XVIII, 139 *πῶς γὰρ οὔ;* XIX, 50 *ποίοις;* XVIII, 281 *ἀλλ', ὁρᾷς; ἐγώ;* XXIII, 162 *εὔνους γε, οὐ γάρ;* (cum ironia) etc. His ex Cic. forsitan aliquo modo respondeat crebra formula »itane vero?« et Quinct. 69 *quidni?* Illud quoque in Dem. singulare est, quod interdum ex sententia principali affirmativa per sententiam relativam ad interrogandum transitur, ut XVIII, 93 *ὁ φίλος πολιορκῶν αὐτοὺς ἑωρᾶτο, οὗ τί γένοιτ' ἂν αἴσχιον;* cf. ib. 126, XXIX, 36, 47. Quin etiam, cum verba particulis copulativis iunguntur, in una parte subito oratio ad interrogationem invertitur in Pant. 14 *πολλὰ δεηθέντος ἐμοῦ καὶ τί οὐ ποιήσαντος; κτἀ.*

His accedant: IV, 10 *γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ, Ἀθηναίους καταπολεμῶν καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν;* cf. *π. ὕψους* (Sp. I, 270); IX, 34 *οὐ Κορινθίων ἐπ' Ἀμβρακίαν ἐλήλυθε;*

οὐκ Ἀχαιῶν Ναύπακτον ὀμώμοκεν Αἰτωλοῖς παραδώσειν; κτλ. XVI, 13 πῶς οὐ βοηθήσουσιν ἡμῖν ἐπ᾽ Ὠρωπὸν ἢ κάκιστοι πάντων ἀνθρώπων δόξουσιν εἶναι; XVIII, 71 πότερον ταῦτα ποιῶν ἔλυε τὴν εἰρήνην ἢ οὔ; καὶ πότερον φανῆναί τινα ταῦτα κωλύσοντα ποιεῖν αὐτὸν ἐχρῆν ἢ μή; de hac forma dicit Demetr. π. ἑρμ. (Sp. III, 321): καθάπερ εἰς ἀπορίαν ἄγει τὸν ἀκούοντα ἐλεγχομένῳ ἐοικότα· XXI, 203 εἶτα θαυμάζετ᾽, εἰ κακῶς τὰ πράγμαθ᾽ ὑμῖν ἔχει; ἐμὲ οἴεσθ᾽ ὑμῖν εἰσοίσειν, ὑμεῖς δὲ νεμεῖσθαι; κτλ. His respondere videntur Ciceroniana haec: Ph. VII, 5 *Faveas tu hosti? ille litteras ad te mittat de sua spe rerum secundarum? eas tu laetus proferas?* etc. har. r. 19 *quis est tam vaecors, qui aut, cum suspexit in coelum, deos esse non sentiat et ea, quae tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac necessitudinem persequi possit, casu fieri putet?* etc. Rosc. A. 151 *ad eamne rem reservati estis — ut eos condemnaretis, quos sicarii iugulare non potuissent?* etc. Balb. 50. *Quid? Cn. Pompeius pater rebus Italico bello maximis gestis P. Caesium — nonne civitate donavit? quid? cohortes duas universas Camertium C. Marius? quid? Heracliensem Alexam P. Crassus?* etc. Hoc modo ap. Cic. frequentissime multae interrogationes coacervantur, ap. Dem. raro, in Boeot. I, 15 sq. ἂν δὲ χρόνος διέλθῃ — τί μᾶλλον οἱ τούτου παῖδες ἔσονται τῶν ἐμῶν ἐγγεγραμμένοι —; τί δ᾽ εἴ τις δίκην ἐξούλης αὐτῷ λαχὼν μηδὲν ἐμοὶ φαίη πρὸς αὐτὸν εἶναι — τί δ᾽, εἰ κτλ. cf. XXIII, 120, VIII, 18. In omnibus igitur talibus interrogationibus nullum responsum desideratur; neque magis tum, cum orator adversario multis interrogationibus eiusd. g. continenter positis vehementer instat, ut V. 1, 84 *quod fuit id tempus? quando es persecutus? cur imminuisti ius legationis* etc. nam hoc totum non vera est percontatio, sed reprehensio vehemens et vituperatio. Tragici porro poetae interrogatione saepe utuntur ad vehementius imperandum, ut Soph. Oed. r. 430 οὐκ εἰς ὄλεθρον; οὐχὶ θᾶσσον; κτλ. Aliqua huius g. etiam Dem. et C. exhibent, ut ille XXIV, 205 τοῦτον οὐ τιμωρήσεσθε λαβόντες; cf. ib. 203, XXI, 97, 116, VI, 25, VIII, 74, XXIII, 121, XIX, 283. Cic. offert talia in Ph. III, 32 *non deorum beneficio utemini?* etc. cf. ib. XIII, 48 Dei. 29; prov. c. 8; Flacc. 40; Cat. I, 20; Mur. 35; V. 3, 208. Sed iam ad illud genus pergamus, cum alternis quaestionibus et responsis sermo quidam institui videtur.

Hic igitur vis figurandi non in ipsa posita est interrogatione, sed in imitatione sermonis. Atque Tiberii ὑποφορὰ [67]) totum genus com-

---

[67]) Eius (Sp. III, 77) verba sunt: ὑ. ἐ. ὅταν μὴ ἑξῆς προβαίνῃ ὁ λόγος, ἀλλ᾽ ὑποθεὶς τι ἢ ὡς παρὰ τοῦ ἀντιδίκου ἢ ὡς ἐκ τοῦ πράγματος ἀποκρίνηται πρὸς αὐτόν, ὥσπερ δύο ἀντιλεγόμενα πρόσωπα μιμούμενος. Cornificii (4, 16, 23) *ratiocinatio est, per quam ipsi a nobis rationem poscimus, qua re quidque dicamus et crebro nosmet a nobis petimus unius cuiusque propositionis explanationem*; subiectio

plecti videtur; Cornif. nomina ratiocinationis et subiectionis exhibet. Sed cum de hac re apud veteres magna inveniatur discrepantia, perlustremus potius omnia, quae in hoc g. usu venire solent. Agitur igitur de oratione, quae alternis quaestionibus et responsis conficitur. Possunt autem et illa quaestio et hoc responsum tam oratoris quam adversarii sententiam continere. Quod si utrumque eius, qui dicit, sententiam expromit, eam ratiocinationem esse censeamus, ut Dem. VI, 7 *λογίζομαι, τίνων ὁ Φ. κύριος κατέστη; τῶν ἐν Φωκεῦσι πραγμάτων. τί οὖν; πῶς τούτοις ἐχρήσατο; ἃ Θηβαίοις συμφέρει πράττειν προείλετο.* Sin autem quaestio adversarii sententia est, hac ipsa parte subiectionem contineri existimemus, itemque si responsum vel utrumque. Illius rationis exemplum est Mil. 55 *cur igitur victus est* (intentio adversae partis)? *Quia non semper viator a latrone occiditur* (oratoris refutatio) etc. Si responsum adversario tribuitur, sequitur fere per particulam »at« sive »ἀλλὰ« vel per sententiam relativam oratoris refutatio, quae pars a Fortunatiano aliisque proprio nomine ἀνθυποφορὰ appellari videtur [68]), ut Dem. I, 26 *τίς αὐτὸν κωλύσει δεῦρο βαδίζειν; Θηβαῖοι; οἳ καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως κτά.* Etiam id monendum est, responsum hoc, sive oratoris sive adversarii sententiam proferat, saepe rursus interrogando fieri; id quod hic nihil refert, quia haec interrogandi forma in illud prius genus cadit, cum interrogando affirmatio conficitur. Atque ratiocinationem Dem. summa divinitate tractare solet; notissimum est illud *διὰ τί;* ut XXIII, 54 *διὰ τί; οὐ τὸ συμβὰν ἐσκέψατο, ἀλλὰ τὴν τοῦ δεδρακότος διάνοιαν·* cf. XVIII, 26; 224; XIX, 53, 63, 103, 110, 111, 210, 271 etc. alius est g. hoc *διὰ τί* XIX, 284; nam ibi pro affirmatione ponitur. Similiter a Cic. »quid ita?« ponitur ut Rosc. A. 34 etc. Ap. Dem. VI, 7 legitur: *τί οὖν; πῶς τούτοις ἐχρήσατο;* hoc *τί οὖν*; quod per se ipsum ratiocinatio est, hic nihil aliud agere videtur; quam ut alteram ratiocinationem quasi praeparet; atque omnino hae formulae ut ap. Cic. »quid deinde? quid igitur? quid ergo? quid postea? quid tum?« saepe sic ad alterius interrogationis quasi viam muniendam asciscuntur neque aliud quidquam velle videntur, quam ut rationem consecutionis vel temporalis vel causalis, quae inter praecedentia et sequentia intercedit, quam planissime demonstrent. Praeterea ex Dem. huius g. maxima turba exemplorum arcessi poterat, sed haec sufficiant: XIX, 257 *ἵνα τί;* ib. 73 *ὥς τίς φησιν;* XVIII, 88 *τίς ἦν ὁ βοηθήσας τοῖς Βυζαντίοις; τίς ὁ κωλύσας τὸν Ἑλλήσποντον ἀλλοτριωθῆναι; ὑμεῖς —. τίς δ' ὁ τῇ πόλει λέγων —; ἐγώ* [69]). Non

---

4, 23, 33) est, *cum interrogamus adversarios aut quaerimus ipsi a nobis, quid ab illis aut quid contra nos dici possit, deinde subicimus id, quod oportet dici* etc. etiam Quintiliani schema per suggestionem (9, 2, 15) huc spectat; cf. etiam Hermog. Sp. II, 434 sq. et. ib. 284. [68]) II. 18 *hypophora est intentio adversae partis, anth. responsio eius.* [69]) Si qui Demosthenis in hoc g. et copiam et artem tractandi exquirere volet, haec evolvet: VIII, 7, 46, 51, 56, 64, IX, 5, 22, 37, 39, 42, 56, XVIII, 20, 26, 35, 36, 79, 142, 149, 175, 177, 178, 205, 236, 246,

numquam ipsius ratiocinationis ratio redditur, ut IX, 36 *τί οὖν αἴτιον τουτωνί; οὐ γὰρ ἄνευ λόγου καὶ δικαίας αἰτίας οὔτε τόθ' οὕτως εἶχον ἑτοίμως πρὸς ἐλευθερίαν οἱ Ἕλληνες οὔτε νῦν πρὸς τὸ δουλεύειν κτλ.* cf. XIV, 24; etiam cum communicatione, de qua mox dicetur, coniungitur XXII, 67 *βούλεσθε τὸ αἴτιον ἐγὼ ὑμῖν εἴπω;* Ap. Cic. Pomp. 52 reperitur: *quid igitur ait Hortensius?* sic haec forma saepe ad transitiones adhibetur; ib. p. r. p. 5 est: *quorsum igitur haec disputo? quorsum?* Quinct. 94 *quid ergo est?* ib. 66 *quid deinde fit?* etc.

Subiectionis eius, quae responso, de quo supra egi, continetur, est exemplum ap.Cic. Rosc.C. 22, *Egebat? Immo locuples erat. Debebat? Immo in suis nummis versabatur*; etc. cf. Quinct. 43; Rosc. C. 25 etc. Dem. XVIII, 24 etc. Eius autem subiectionis, qua adversario vel alii uni ex eis, qui audiunt, quaestio tribuitur, exemplum est Dem. XXIII, 96 *οὐκ ἄρ' εὐορκοῦσιν οἱ δικάσαντες αὐτό; ναί. πῶς; ἐγὼ διδάξω.* cf. Cic. Mil. 57. Sed haec forma rarissima est; nam talis quaestio plerumque praeparatur his locutionibus: »dicet aliquis, quispiam« etc. ut Cael. 39 *dicet aliquis: haec est igitur tua disciplina? sic tu instituis adolescentes?* cf. Arch. 15 etc. at talis subiectio non iam in figg. cadit, quod hic his ipsis formulis adiectis illa fictio et imitatio sermonis, in qua figurationis ratio sita est, tollitur. Alia autem re artificium nititur in illo praeclarissimo Demosthenis exemplo IX, 70: *καὶ ἡμεῖς πόλιν μεγίστην ἔχοντες — τί ποιῶμεν; πάλαι τις ἡδέως ἂν ἴσως ἐρωτήσας κάθηται.* Talibus conversionibus subitis omnino eius oratio delectatur et similis fit ei, qui, cum gladio bene utatur, novis semper declinationibus et inexspectatis petitionibus adversarium opprimit.

Nec vero solum interrogando fit subiectio, sed crebro etiam directa oratione, ut Dem. VIII, 16 *νὴ Δία, κακοδαιμονοῦσι γὰρ ἄνθρωποι κτλ.* Cic. Planc. 11 *Male iudicavit populus. At iudicavit. Non debuit. At potuit. Non fero. At multi clarissimi cives tulerunt.* Etiam in hoc g. ea tantum exempla huc spectare arbitror, quibus sermo quidam exprimitur nec verbis aliquibus appositis rursus deletur. Inveniuntur talia ap. Dem. XVIII, 117, 312, III, 29, VIII, 9, 51 etc. Cic. Quinct. 71; Mil. 36; V. 2, 166, Mur. 62 etc.

A Tiberio (Sp. III, 67) etiam *διαλεκτικὸν* commemoratur et sic describitur: *δ. ἐ., ὃ μάλιστα ποιεῖ Δημοσθένης, ὅταν μὴ ἁπλῶς διεξίῃ τὸν λόγον, ἀλλὰ πρὸς πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν συλλογίζηται, ἃ βούλεται*[70]). Cum autem talia nusquam locum habeant, nisi in

---

278, 300, 313, XIX, 5, 6, 25, 27, 33, 60, 68, 137, 142, 145, 149, 164, 166, 167, 208, 222, 231, 270, 279, 287, 297, 333, XXI, 30, 44, 54, 56, 86, 99, 122, 147, 148, 156, 157, 160, 161, 162, 176, 199, 221, 224, XXIII, 24, 25, 27, 30, 31, 32, 33, 38, 39, 40, 45, 46, 52, 54, 56, 70, 78, 79, 113, 157, 171, 199 (cf. Herm. Sp. II, 284); in Aphob. I, 38, III, 8, 19, 31, 33. [70]) Ernesti Lex. Technol. Gr. 77 habet: δ. est *forma orationis ea, qua id, quod dicere volumus, non directe, sed per interrogationem et responsionem enunciamus.*

ratiocinatione et subi., hoc nomen nihil aliud sonare videtur, quam continuationem plurium huius g. exemplorum, ut gradu tantum differat a simplici ratioc. et subi., non genere. Etiam ex eis, quae iam supra attuli, nonnulla huc trahi possunt, praeterea evolvantur: Dem. XIX, 294, 231, 206, IV, 34, IX, 36, sq. XX, 114 sq. etc. Cic. Caecin. 24; dom. 13; 72; Balb. 7; Rab. P. 11 sq. Mil. 15; 59; 60; V. 5, 110; 3, 25; l. a. II, 38 etc. Haec quoque forma usurpatur ad transitionem muniendam, ut V. 5, 119 *graves dolores inventi parentibus: verum tamen mors sit extrema. Non erit. Estne aliquid ultra, quo crudelitas progredi possit? Reperietur* etc. Etiam extra interrogationem tale quasi diverbium fieri potest, ut V. 3, 196 *frumentum me abs te emere oportet.* »*Optime.*« »*Modium denario.*« »*Benigne ac liberaliter*« —. »*Mihi frumentum non opus est: nummos volo*« etc. cf. Rosc. A. 52; 94; Mur. 67 sq. 73. Ph. XII, 4 etc. Postremo addendum esse puto, me omnibus ex Dem. et C. exemplis notatis repperisse, etiam in hoc g. hunc illo multo frequentiorem esse, quod aliqua ex parte ita illustrari posse puto, si ex utroque eos locos indicabo, in quibus interrogandi ratio longius texitur; appono ex Cic. Cluent. §§. 170—74, V. 3, 25—31, Rab. p. 21—24 et 26—29, Mur. cp. 33 itemque cp. 41, dom. §§. 50—60, 87—90, Flacc. 6—9, Vat. 17—21, 30—33, 39—41, Cael. 56—59, Balb. 11—14, Pis. cp. 13, §§. 86—90, Ph. II, 110—113, V, 7—9, VII, 9—14, 21—25, XII, 11—13, 6—8, 15 sq.; ex D. XVIII, 240—44, XIX, 280—3, 294—6, XXIII, 119—122, XXIV, 81—83, in Phorm. 25—29, in Boeot. I. 7—12, 14—16. Parcissime hoc ornamento usus est Cic. in tertia Catilinaria et or. p. red. ad pop., D. in or. de pace. Sed de interrogatione satis multa mihi videor dixisse. Deinceps sequitur, ut

De communicatione

pauca proferam, qua is, qui dicit, se cum eis, qui audiunt, non numquam etiam cum adversario deliberare fingit [71]. A. Rufin. (H. 41) *ἀνακοίνωσις*, ab Isid. (ib. 520) coenosis, in cod. Eckst. (ib. 74) *κοινωνία* appellatur. Haec inter eas numeratur figg., quae orationi speciem quandam subitae dictionis tribuunt. Leve huius rei vestigium iam in talibus deprehenditur: Ph. II, 27 *Cascas dicam an Ahalas*; cf. Pis. 3; V. 1, 122; Dem. XXIII, 146 *οἷον τί λέγω*; ib. 18 occurrit: *δίκαιον δ᾽ ἐστὶν — αἵρεσιν ὑμῖν δοῦναι, τί πρῶτον ἢ τί δεύτερον ἢ τί τελευταῖον βουλομένοις ἀκούειν ὑμῖν ἐστίν. — περὶ τοῦ παρανόμου βούλεσθε πρῶτον;* XVIII, 180 *τίνα βούλει σε, Αἰσχίνη, καὶ τίνα ἐμαυτὸν ἐκείνην τὴν ἡμέραν εἶναι θῶ; κτλ.* IX, 46 *τίνος εἵπω;*

[71]) Quintil. 9, 2, 20; cf. Cic. de or. 3, 204, or. 138, Monse. D. 7 et 11 sq.

κελεύετε καὶ οὐκ ὀργιεῖσθε; XXIII, 82, 87, XVIII, 52, XIX, 205, 227, XXII, 67. C. Ph. II, 44 exhibet hoc: *visne igitur te inspiciamus a puero?* Quinct. 56 *quo te nomine appellemus?* Caecil. 37 *de te, Caecili, (iam hoc extra hanc contentionem familiariter tecum loquar) tu ipse quem ad modum existimes, vide;* sic Cic. plerumque hanc fig. eo confert, ut adversarium ironia perfundat, Dem. saepius eis, qui audiunt, aliquid concedere videtur et tali venia eorum sibi favorem conciliare studet. Cf. praeterea Cic. V. 5, 2; I, 32; Quinct. 54; Rab. p. 21 sq. A communicatione non procul abest

Dubitatio,

qua *quaerere videtur orator, utrum de duobus potius aut quid de pluribus dicat*[72]) vel *unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum, an omnino dicendum sit*[73]). A Graecis plerumque *διαπόρησις*, a Rutilio (H. 18) *ἀπορία* dicitur[74]). Apsines (Sp. I, 358) eam utilem esse scribit *ἐν παθητικαῖς διηγήσεσι*. Vis figurationis hic ipsa ratione dubitandi continetur, in quantum non vera est, sed fingitur et simulatur. Atque a rhetoribus antiquis etiam talia huc trahuntur Dem. XVIII, 20 *ἡ τῶν Ἑλλήνων εἴτε χρὴ κακίαν εἴτε ἄγνοιαν εἴτε καὶ ἀμφότερα εἰπεῖν·* cf. XXIII, 156; XVIII, 129 dicit D.: *οὐκ ἀπορῶν δ' ὅ τι χρὴ περὶ σοῦ εἰπεῖν, ἀπορῶ τοῦ πρώτου μνησθῶ· κτἀ.* hic summa arte, dum se simulat dubitare, quid dicat, rem ipsam transigit (cf. III, 3); XVIII, 22 *εἶτ' ὦ — τί ἂν εἰπών σέ τις ὀρθῶς προσείποι;* IX, 54 *εἰς τοῦτο ἀφῖχθε μωρίας ἢ παρανοίας ἢ — οὐκ ἔχω τί λέγω·* hac quasi declinatione prudentissime asperam vocem *κακοδαιμονίας* supterfugit, rem ipsam nihilo minus statim subiecturus: *πολλάκις γάρ ἔμοιγ' ἐπελήλυθε καὶ τοῦτο φοβεῖσθαι, μή τι δαιμόνιον τὰ πράγματ' ἐλαύνῃ.* Cic. in hoc g. copiosissimus est; ac trita illa sunt: quid loquar? quid dicam? quid agam? (Sest. 55 *tacentibus dicam?*), quid commemorem? (V. 4, 124), quid primum querar? (V. 5, 83; I, 40), quas formulas saepe non facile est a praeteritione distinguere. In Rosc. A. 29 legitur: *quid primum querar? aut unde potissimum ordiar?* etc. Sest. 29 *quid hoc homine facias?* V. 4, 89 *illud quid sit, iam non queo dicere* (cf. Rosc. A. 124; l. a. II, 35 *verbum mihi deest*), Pomp. 57 *Gabinio dicam anne Pompeio?* cf. Ph. II, 99; Cael. 71; dom. 113, in quo exemplo frigus summum esse scribit Kays. 297; praeterea vide V. 5, 158; Dei. 34; Cluent. 4; p. Corn. II, fr. 1; Lig. 1. Postremo monendum esse videtur,

---

[72]) Cornif. 4, 29, 40. [73]) Quintil. 9, 2, 19. [74]) cf. Alex. Sp. III, 24, Phoeb. 54, Tiber. 61, Zon. 163, Anon. 179, Hermog. III, 387, Rufin. H. 40, cod. Eckst. ib. 75, Aquil. 25, Mart. 478, Isid. 520, Gross. 197, Dzial. 24, Mouse D. 10, Volkm. Rhet. 423, Kleutg. 76, Gerb. II_2, 59.

nisi in dubitatione res magna et gravis subsit, nulla via orationem magis in declamationem inanem delabi. In V. 4, 5 reperitur *sed eorum artificem, quem? quemnam?* hac dubitatione omnem rerum Graecarum significationem evitare studet, quae timet ne quid de auctoritate orationis suae decerpat. In V. 3, 166 invenitur: *Mihi hoc perarduum est demonstrare. Quibus enim testibus? Publicanis? Tractati honorifice sunt: tacebunt. Litteris eorum? decreto decumanorum remotae sunt. Quo me igitur vertam? rem tam improbam propter inopiam testium ac litterarum praetermittam?* etc. Hic plurium rerum venustas concurrit, dubitationis, communicationis, ironiae, eaque animorum et exspectationis suspensio, quae a Rufin. H. 46

Sustentatio

sive ὑπομονὴ sive inopinatum appellatur et sic describitur: *Hoc schema suspendit sensum, deinde subicit aliquid eo, contra exspectationem auditoris, sive maius sive minus. Tales autem exitus inopinati miram saepe vim ad commovendos animos habent*[75]. Atque infimus quasi gradus huius rei in omni deprehenditur ratiocinatione. Exempli causa affero: Cic. V. 5, 11 *etiam nunc mihi exspectare videmini, quid deinde factum sit, quod iste nihil umquam fecit sine aliquo quaestu. Quid in eius m. re fieri potuit? Quod commodum est exspectate facinus quam vultis improbum: vincam tamen exspectationem* etc. praeterea vide Rosc. C. 12 *Quis in hanc rem fuit arbiter? Utinam is quidem Romae esset! Romae est. Utinam adesset in iudicio! Adest. Utinam sederet in consilio Pisonis. Ipse C. P. est.* Praeclarus quoque huius g. locus est V. 2, 106, qui simul subiectionem et dialecticum habet; cf. V. 3, 139 sq.; 1, 141; 4, 86 (cum ironia); 5,69; Lig. 27. — Nunc ad eam fig. accedamus, quae a Cornif. 4, 29, 39

Permissio

nominatur. Usurpatur autem p., *cum ostendimus in dicendo, nos aliquam rem totam tradere et concedere alicuius voluntati* aut de aliquo iure nostro decedere. Eius eundem paene fontem esse censet Quintil. 9, 2, 25 quem communicationis, cum aliqua ipsis iudicibus relinquamus aestimanda, aliqua non numquam adversariis quoque[76]. Graece a plerisque ἐπιτροπὴ dicitur, ut ab Herod. Sp. III, 98, Rutil.

---

[75]) Kleutg. 162; cf. Volkm. Rhet. 424. Monse. D. 12, Quintil. 9, 2, 22.
[76]) cf. Gerb. II_2, 94, Volkm. Rhet. 424, Monse. D. 12 sq., idem fere quod permissio codicis Eckst. H. 74 συγχώρησις vel concessio sibi velle videtur; cf. Gross. 75.

H. 20, Isid. 520. In figg. habendam esse permissionem puto ob eam causam, quod in ea non asseveratur idque tantum conceditur, quod adversarii causae aut nihil prosit aut etiam obsit, immo amplificationem saepe habet talis ratio, cum aliquid concedimus, ut aliud eo magis premamus et augeamus. Kleutg. (p. 75) dicit: *Vim concessio habet inde, quod magnam causae fiduciam ostendit*, idemque etiam Cic. Rosc. A. 37 sqq. huc refert, ubi crimen parricidii vehementer augetur, ut R. ipsius criminis atrocitate defendatur. Praecipue autem haec fig. apta videtur ad misericordiam commovendam, ut Cic. Rosc. A. 145, *concedo — fero — patior et ferendum puto. Quid vis amplius?* Etiam huius m. exempla huc referuntur: Verg. Aen. 4, 381 *I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas* (cf. Georg. 4, 329). Dem. ex hoc g. habet VIII, 49 *ἔστω, μὴ ἀμύνεσθε, ἅπαντα πρόεσθε*, XVIII, 246 *πᾶσαν ἐξέτασιν λάμβανε· οὐ παραιτοῦμαι·* plerumque talis concessio condicionaliter effertur, ut XVIII, 10 *μηδὲ φωνὴν ἀνάσχησθε κτλ.* cf. ib. 139, 270, XIX, 332, 278; Ciceroniana sunt exempla V. 4, 18 *tibi habe canephoros*, l. a. I, 3 *consume sane quod commodum est*, Flacc. 96 *Litemus Lentulo* etc. cf. Rosc. *A.* 8; 18; V. 2, 17; 46; 109; 150; 139; 4, 19; 150 sq. 5, 117; 3, 173; 41; 219; 71; Cluent. 65; Cat. I, 10; dom. 47. Transeamus ad aliam fig., quae

Praecisio

sive *ἀποσιώπησις* vocatur et a Phoeb. Sp. III, 50 definitur *ἔκλειψις παντελὴς τοῦ ἐκ τῆς ἀκολουθίας ὀφείλοντος ἐπενεχθῆναι*[77]). De eius vi et utilitate scribit Quintil. 9, 2, 54, *ostendit aliquid adfectus vel irae*, Demetr. Sp. 285 *ἔνια μὴ ῥηθέντα μείζονα φαίνεται καὶ ὑπονοηθέντα μᾶλλον* (cf. Hermog. Sp. II, 430). A multis artium scriptoribus haec fig. non satis definite a praeteritione discernitur; ego, ut omnem confusionem tollam, ad praecisionem ea tantum revocabo, in quibus iusta orationis series interrumpitur, omnia autem, quae praetermitti dicuntur, sive res, quae omittitur, nominatur, sive tantum universe indicatur, praeteritioni subiiciam. Atque haec fig. rarissima est: notissimum est illud Vergilianum Aen. 1, 135 *quos ego — sed motos praestat componere fluctus*; Cic. dicit in Mil. 33: *de nostrum omnium — non audeo totum dicere*; cf. ib. 79; Ph. XII, 4 *quamquam — sed hoc malo dicere;* Demosthenicum huius g. est illud a multis laudatum de cor. 3 *ἀλλ᾽ ἐμοὶ μέν — οὐ βούλομαι δὲ δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδὲν ἀρχόμενος τοῦ λόγου·* cf. ib. 22, 195, IX, 54; ib. III,

---

[77]) cf. Cornif. 4, 30, 41, cuius etiam significatio per abscisionem (vide pag. 23 sqq.) huc spectat, Alex. 22, Tiber. 62, Herod. 95, Anon. Sp. III, 142, Zon. 163, Anon. 188, cod. Eckst. H. 74, Aquil. 24, Isid. 521. Blass. III_1, 158 sq, Gerb. II_2, 38 sqq. Gross 173, Monse. D. 35, Volkm. Rhet. 429, Kleutg. 80.

27 lectio Dindorfiana est οἵ — τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ· sed si sequimur optimae notae codicem, qui littera Σ indicari solet, simplicem praeteritionem habemus. Similis est ratio huius loci XVI, 18 ἀλλ — ἐάσω τό γ' ἐπελθὸν εἰπεῖν μοι· nam etiam hic interpunctione mutata praeteritio evadit. His leviter perstrictis sequitur, ut

De praeteritione

agendum esse videatur. Nomen hoc inveni ap. Aquil. H. 24, rem Cornif. 4, 27, 37 his verbis explicat: *occultatio*, si Spaldingii sequimur coniecturam, *occupatio*, si codicum nitimur auctoritate, *est, cum dicimus nos praeterire aut nolle dicere, quod nunc maxime dicimus* [78]). A Graecis plerisque Alex. 23, Phoeb. 51, Tiber. 60 itemque a Charis. K. I, 284 παράλειψις appellatur, a Ps. Rufin. H. 62 ἀντίφρασις, a Rutil. H. 18 παρασιώπησις, ab Herod. 98 ἀστεισμός, in carm. de figg. H. 69 ὑπερβατόν. Cornif. eam adhibendam esse existimat, *si aut ad rem non pertinet planius ostendere, quod occulte admonuisse prodest, aut si longum est aut ignobile aut planum non potest fieri aut facile potest reprehendi; ut utilius sit occulte fecisse suspicionem, quam eius modi intendisse orationem, quae redarguatur.* Hermog. Sp. II, 374 exhibet: πολὺ τὸ ἀξιόπιστον διὰ τὴν ἐμφαινομένην ἐπιείκειαν αἱ π. ἔχουσι. Mihi quidem eo potissimum consilio oratores hac uti fig. videntur, ut eorum, qui audiunt, exspectatio ad ea, quae sequentur — nam nisi in transitionibus fere non adhibetur — quam vehementissime intendatur [79]). Idem Hermog. l. c. unus duas praeteritionis species ponit: ἢ γὰρ ἄντικρυς παραλείπει, ἢ εἰπὼν οὐδὲν προστίθησιν, ἐνδείκνυται δὲ μόνον καὶ ὥσπερ τινὰ πρόσληψιν ἀορίστου ποιεῖται (citatur Dem. XVIII, 131), ἢ τῇ μεθόδῳ μόνῃ χρῆται τῇ παραλειπτικῇ, τὰ πράγματα δὲ οὐδὲν ἧττον λέγει (Dem. XVIII, 268 adhibet). Atque multae praeteritionis formulae crebro usu iam omnem figurationis splendorem amiserunt, ut τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ, πολλ' ἂν ἔχων εἰπεῖν, τὰ μὲν ἄλλα ἐάσω, ἐῶ τἄλλα, τὰ μὲν πόλλα παρήσω, πολλοὺς ἂν ἑτέρους ἔχοιμι λέγειν, τι δεῖ πλείω λέγειν; (cf. D. XLIII, 68), τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν; τί δεῖ τοὺς ἄλλους λέγειν; plura non dico, non omnia dicam, ut media praeteream (Ph. XII, 12), ἵνα τὰν μέσῳ παραλείπω (D. XVIII, 215), ut vetera mittam, ut plura non dicam, ut haec missa faciam, nihil dicam de ceteris, quid cetera repetam, ut alia omittam, quid plura commemorem? etc. Etiam haec satis frequenter occurrunt: V. 2, 23 *quid Pompeii testimonium recitem?* Vat. 26 *quid de me querar?* ib. 13 *quid te de H. flagitiis interrogem?* V. 2, 119 *de quo crimine quid disputem — quid argu-*

78) cf. Monse. 34, Kleutg. 74, Gross. 202, Gerb. II₂. 38 sqq. Demetr. Sp. III, 318. 79) cf. Seuffert Schol. Lat. I, 79.

menter? ib. 68 *quid unam quamque rem colligam?* Pis. 86 *quid avaritiae summam explicem?* V. 1, 55 *quid de Marcello loquar?* Quinct. 30 *quam aequum, nihil dico; unum hoc dico,* V. 2, 111 *de hospitio violato nihil queror,* ib. 125 *nolite exspectare, dum omnes obeam oratione civitates* (cf. V. 3, 58; 4, 48), V. 3, 104 *agrorum missos faciam quaestus triennii,* Rosc. A. 75 *praetereo illud, quod mihi maximo argumento poterat esse,* Quinct. 71 *mitto aequa, verum ante hoc tempus ne fando quidem audita,* Flacc. 7 *praetereo illa, quae praetereunda non sunt* etc. cf. Sest. 12; 27; Cael. 53; Caecin. 97; Pomp. 33; 26; 54; Rosc. A. 53; 134; V. 1, 34; 86; 4, 97; 105; 5, 34; 38; Cluent. 59; 100; l. a. I, 21; Cat. I, 3; IV, 15; Mur. 18; 33; Sull. 22; 75; dom. 75; 125; prov. c. 3; 6; 8; Balb. 43; Planc. 29; Mil. 76; 98; Ph. II, 53; V, 31; VI, 9; XI, 35; Pis. 17; 47; 50; 75. Multis huius g. exemplis simul correctio continetur, cum orator aliquid commemorare coepit, tum repente se suam orationem corrigere et rem relinquere fingit, ut Flacc. 80 *sed haec omitto;* cf. Pis. 80; V. 3, 200; dom. 23 etc. Dem. XLV, 22, 34, II, 3. Idem XVIII, 100 dicit: *μυρία τοίνυν ἕτερα ἔχων παραλείπω, ναυμαχίας, ἐξόδους πεζὰς, στρατείας·* XXIV, 126 *περὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ οὐδὲν ἂν φλαῦρον εἴποιμι, οὐδ᾽ εἰ πάνυ πολλ᾽ ἔχω περὶ κλοπῆς λέγειν·* cf. I, 13, XVIII, 21, 120, 138, 261, IX, 21, XIX, 145, 276, XX, 2, 52, 107, XXI, 122, 181, 103, XXII, 15, 52, 70, XXIII, 114, 125, 148, XXIV, 163, 202, 177, XXIX, 50 XXXVIII, 25, LVII, 33, 61. Insigniora mihi haec esse videntur XVIII, 69 *ἤδη σ᾽ ἐρωτῶ, πάντα τἄλλ᾽ ἀφεὶς, Ἀμφίπολιν, Πύδναν, Ποτίδειαν, Ἁλόννησον· οὐδενὸς τούτων μέμνημαι· Σέρρειον δὲ καὶ Δόρισκον καὶ τὴν Πεπαρήθου πόρθησιν οὐδ᾽ εἰ γέγονεν οἶδα·* cf. IX, 26, VIII, 70; ap. Cic. Flacc. 60 *quae a me si, ut dicenda sunt, dicerentur, gravius agerem: revocarem animos ad Mithridatici belli memoriam* etc. Pis. 58 *nondum commemoro rapinas, non exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces sociorum, non caedes hospitum, non perfidiam, non scelera praedico;* V. 5, 19 vero haec fig. per quattuor paragraphos ducitur: *Non agam tam acerbe: non utar ista accusatoria consuetudine — non agam ista ratione — non defendam Apollonii causam — nihil de hominis frugalitate dicam: praetermittam illud etiam — non dicam ne illud quidem, si maxime in culpa fuerit A., tamen animadverti causa indicta non oportuisse. Nullam in te invidiam ne ex illis quidem rebus concitabo — etiam illud praeteribo — relinquo haec omnia — omnia tibi ista concedam et remittam;* hic igitur simul etiam permissionis ratio incurrit; cf. praeterea Dei. 37; V. 1, 75; 32; 3, 106; Rosc. A. 97; Cluent. 64; 188; Cael. 30; 50; Vat. 11; Sest. 56. — In summa porro arte eae versari videntur praeteritiones, in quibus etiam causa huius rationis redditur; neque enim ea vera aut propria causa esse solet, quae in his semper occultatur, ut machinatione huius m. integumenta

simulationis non modo non detrahantur, verum etiam arctius res implicari et involvi videatur. Ut dicitur a Cic. V. 2, 1 *multa mihi necessario praetermittenda sunt, ut possim aliquando de iis rebus dicere* etc.; 1, 156 *longum est dicere*, Pomp. 25 *sinite me hoc loco praeterire nostram calamitatem*, Balb. 19 *quod maxime petendum est, non peto, ne de vestra sapientia dubitare videar: est autem petendum ne oderitis ingenium* etc.; a Dem. VI, 11 *πάντες μὲν ἀεὶ γλίχονται λέγειν (τὰ τοῖς προγόνοις πεπραγμένα), ἀξίως δ' οὐδεὶς εἰπεῖν δεδύνηται, διόπερ κἀγὼ παραλείψω δικαίως·* cf. praeterea XX, 76, 99, XVIII, 110, XXI, 15, XXIX, 50, II, 19; Cic. 4, 37; 1, 95; 62; Rosc. C. 24; Planc. 74; Cael. 54; Cluent. 36; 41; Cat. I, 14; Flacc. 13. Plane alia est ratio, cum causa vera ponitur, ut Caecin. 11 *multa, quia remota sunt a causa, praetermittam;* cf. V. 1, 62; dom. 32; Dem. de cor. 60; quae quia nullam habent fictionem, ex figg. removenda sunt. Contrariam quandam huius rei speciem et correctionis, de qua mox dicetur, similem prae se ferunt talia: V. 2, 87 *quod paene praeterii* cf. ib. 3, 80; Cluent. 138; ib. 89 *vultus vestri me invitant, ut, quae reticenda putaram, libeat iam libere dicere;* Dem. XIX, 225 *καὶ γὰρ εἴ τι σιωπᾶν ἐγνώκειν, λέγειν ἐξάγομαι·* cf. XXIV, 1, XL, 58; Ph. XIII, 27; C. Sest. 13; his orator se fingit non meditatum venisse ad dicendum. In hoc g. aliquanto copiosior fui, quia saepius tractandum est: elocutionis quoque in hac re varietatem longius persequi volui; nam etiam discipulos in suis scriptionibus cum fructu aliquo talibus uti posse confido; ab eis tamen deterrendi erunt, in quibus res, quae praetermittitur, non commemoratur. Nunc igitur, ut modo indicavi,

De correctione

disputandum est. Ea definitur a Cornif. 4, 26, 36 ita, ut sit exornatio, quae *tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit.* Apud veteres de hoc dicendi modo magna deprehenditur varietas et nominum et definitionum. Atque a Quintil. 9, 2, 60 appellatur *quasi poenitentia dicti*, quam inter ea iucunda numerat, *quae simplicem quandam et non praeparatam ostendendo orationem minus nos suspectos iudici faciunt* et *cum varietate tum etiam ipsa natura prosunt*; a Rutil. *μετάνοια* H. 10 dicitur, ab Herod. Sp. III, 95 *διόρθωσις*, ab Alex. ib. 40 *ἐπιτίμησις*, a Tiber. 62 et Hermog. Sp. II, 383 *ἐπιδιόρθωσις*[80]). Sed varias definitiones ne amplius curemus. De usu huius fig. et utilitate dicit Cornif. l. c., hanc commutationem verbi id demonstrare, eius m. rem esse, ut, cum eam communi verbo appellaris, levius dixisse videaris, cum adfectatius verbum accedat,

[80]) cf. Monse D. 37, Volkm. Rh. 422, Gerb. II,, 57, Dzial. 25.

insigniorem rem facias: quod si continuo venisses ad id verbum, futurum fuisse, ut nec rei nec verbi gratia animadverteretur. Etiam haec fig., saepe ad transitiones venustiores reddendas assumi solet, unde factum est, ut magna pars talium correctionum iam omnem figurationis quasi colorem amisisse videantur maximeque eae, quae ad orationem a digressione aliqua revocandam adhibentur, ut Dem. XVIII, 211 *ἀλλὰ γὰρ ἐμπεσὼν εἰς τὰ πεπραγμένα τοῖς προγόνοις ὑμῶν ἔστιν ἃ παρέβην*[81]). Alia transitio est XVIII, 294 *ἀλλὰ τί ταῦτ' ἐπιτιμῶ πολλῷ σχετλιώτερ' ἄλλα κατηγορηκότος αὐτοῦ;* Etiam illa sunt satis communia, quae formulis »atque adeo, sive adeo, ac potius, aut potius, seu potius, vel potius, *μᾶλλον δέ*« conficiuntur, ut Dem. XIX, 66 *πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρὸν, μᾶλλον δ' εἴ τις ἔστιν ὑπερβολὴ τούτου·* cf. II, 2, XXI, 118 etc.; Cic. V. 3, 70 *si damnatus eris, atque adeo cum damnatus eris (nam dubitatio damnationis illis recuperatoribus quae poterat esse?)*; Rosc. A. 110 *istius fide ac potius perfidia decepti;* cf. Quinct. 46; 80; V. 1, 87; 3, 21; 115; Sest. 35; Ph. III, 3 etc. In Cat. I, 22 est: *quamquam quid loquor? Te ut ulla res frangat?* cf. ib. 24; V. 2, 10 etc., Sest. 111 *sed latus odio plura dixi, quam dicendum fuit;* cf. V. 5, 79; 1, 148; Ph. II, 12; 20; 25; 29; 59; 88 etc. V. I, 19 *statim ad me defertur: immo vero, ut quisque me viderat, narrabat*; cf. Mil. 34; Rab. P. 31; V. 3, 135; Cat. II, 22; Planc. 43; Ph. VIII, 17; Ph. II, 65 *tantus te stupor oppressit vel, ut verius dicam, tantus furor* etc. Saepe vocabulum, quod corrigitur, per interrogationem aut solum aut cum verbo »dico« repetitur, tum id infertur, quod eius loco substituitur, ut Ph. II, 48 *quae autem domus? — Domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres?* Sest. 53 *illo ipso die, die dico? immo hora atque puncto temporis eodem;* cf. ib. 110; Sull. 72; Flacc. 13; 22; Lig. 26; Ph. II, 25; 67; V, 5; XII, 7; Pis. fr. II; Mil. 76; 64; Cat. I, 2; V. 1, 45. Singulare huius m. exemplum exstat in XIV, 12 *hostium dico? ita, inquam, hostium,* ubi verbi »hostium« quasi ad corrigendum repetiti vis acrius et vehementius intenditur. Praeterea vide Vat. 33 *levius dixi* etc. Ph. III, 3 *patrimonium effudit; quamquam non sum usus eo verbo quo debui; non enim effudit: in rei p. salute collocavit;* Demosthenis a multis laudatur locus ille de cor. 130 *ὀψὲ γάρ ποτε — ὀψὲ λέγω; χθὲς μὲν οὖν καὶ πρώην ἅμ' Ἀθηναῖος καὶ ῥήτωρ γέγονε,* quem locum Rutil. in Latinum vertit, Cic. autem imitatus est in V. 4, 6 *et quid dico nuper? immo vero modo ac plane paulo ante.* Ea exempla, quae ap. Cic. cum ironia iunguntur, iam supra attuli, ut V. 4, 43; Cael. 32 etc. Atque Cic. in hoc g. multo est uberior quam D., apud quem tantum modo illud *μᾶλλον δὲ* paulo saepius reperitur; cf. Blass. III1, 160. — Restat nunc, ut non nulla addam de alia quadam correctione, quae item ab. Herod. 95 *ἐπιδιόρθωσις*

---

[81]) cf. Seuffert. Schol. Lat. I, 74 sqq.

dicitur, *ὅταν τοῖς δοκοῦσι ἡμαρτῆσθαι ἐπάγῃ τις ὥσπερ θεράπειαν τὴν μετάνοιαν* (cf. Alex. 15). Exempla sunt Dem. III, 3 *ἀξιῶ δὲ ὑμᾶς, ἂν μετὰ παρρησίας ποιῶμαι τοὺς λόγους, ὑπομένειν*, XVI, 18 *εἰ οἷόν τ᾿ εἰπεῖν*, VIII, 71 *οὕτω γὰρ ἴσως ἀνεπίφθονον εἰπεῖν·* cf. III, 21 etc. Cic. Rosc. A. 82 vereor ne molestus sim vobis; cf. Mur. 29; Ph. XII, 24; Lig. 8; Pis. 8; Caecin. 10; V. 4, 4; 105 etc. Sed hoc prudentis est patroni neque cadit in figurae rationem. Hactenus de correctione; nunc, quoniam sententiarum figg. absolvi, restare videtur, ut

De sententia

ipsa, quae proprie dicitur, pauca adiungam. Graece plerumque *γνώμη* dicitur atque ab Aristot. Rhet. II, Sp. I, 99 sic describitur: *ἔστω γνώμη ἀπόφανσις, οὐ μέντοι περὶ τῶν καθ᾿ ἕκαστον, ἀλλὰ καθόλου. καὶ οὐ περὶ πάντων, ἀλλὰ περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσί, καὶ αἱρετὰ ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράττειν* [82]). Distinguit ille quattuor genera, Isid. innumerabilia esse dicit. Aristot. addit: *μάλιστ᾿ εὐδοκιμοῦσιν — ἐν ὅσαις ἐμφαίνεται τοῦ λεγομένου τὸ αἴτιον, οἷον ἐν τῷ »ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλασσε θνητὸς ὤν«.* Utilitas earum consistit in eo, quod *χαίρουσι* (*οἱ ἀκροαταί*), *ἐάν τις καθόλου λέγων ἐπιτύχῃ τῶν δοξῶν, ἃς ἐκεῖνοι κατὰ μέρος ἔχουσι*, tamen monet *ἁρμόττει γνωμολογεῖν ἡλικίᾳ πρεσβυτέρῳ·* et Quintil. 8, 5, 34 *ego haec lumina* — nam ita appellari solent ut a Jul. Victor. H. 437 — *orationis velut oculos quosdam esse eloquentiae credo. sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra officium suum perdant, et, si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim quam istam novam licentiam.* Inter figg. habet eas Isid.; ego quia in eis nihil fingitur aut simulatur, hinc reiiciendas puto, et exemplo, quod supra tractavi, quodam modo contrarias esse; nam ibi genus universum singulis rebus illustratur, hic res singulae sententia quasi norma generali diriguntur. Atque Cic. sententias exhibet in Lig. 38 *homines ad deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando*; Rab. p. 29 *sapientissimi cuiusque animus ita praesentit in posterum, ut nihil nisi sempiternum spectare videatur*; Ph. XII, 5 *cuiusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare*; X, 20 *non in spiritu vita est, sed ea nulla omnino est servienti*; Mur. 13 *nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit*; Ph. V, 26 *minimis momentis maximae inclinationes temporum fiunt*, cui simile est illud Demosthenis XX, 162 *μικροὶ καιροὶ μεγάλων πραγμάτων αἴτιοι γίγνονται·* Ph. XI, 39 *nihil semper floret, aetas succedit aetati*; cf. Arch. 26; Quinct. 49; 55; Rosc. A. 116; Rosc. C. 46; Caecil. 36; 71; V. I, 46; 1, 38; 39; 3, 1; 4;

---

[82]) cf. Isid. 519, Cornif. 4, 17, 24, Quintil. 8, 5, 3 sqq.

4, 14; 5, 182; Caecin. 7; 33; 42; Cluent. 159; Vat. 14; Rab. p. 30; Mur. 36; 45; 89; dom. 141; Pis. 81; prov. c. 41; Planc. 22; 78; 80; Rab. P. 1; 5; 24; 36; Mil. 61; 82; Marc. 11; 27; Ph. I, 8; 35; VIII, 29; IX, 10; XI, 7; XIII, 16; XIV, 32; Cat. IV, 3. Dem. dicit I, 23 πολλάκις δοκεῖ τὸ φυλάξαι τἀγαθὰ τοῦ κτήσασθαι χαλεπώτερον εἶναι, at II, 26 πολὺ ῥᾷον ἔχοντας φυλάττειν ἢ κτήσασθαι πάντα πέφυκεν, XVIII, 95 πρὸς τὰ κάλλιστα τῶν ὑπαρχόντων ἀεὶ δεῖ πειρᾶσθαι τὰ λοιπὰ πράττειν· cf. I, 5, II, 9, 12, 14, III, 32, IX, 16, IV, 5, VI, 21, XVI, 10, 24, XVIII, 97, 192, 252, 269, XX, 49, 56, 140, XXI, 205, XXIV, 175, XXXVI, 44, LVII, 27, XXIII, 197, 113, 122, quocum conf. Soph. Ai. 678.

Singulare genus sententiae a Graecis appellatur ἐπιφώνημα, i. e. secundum Quintil. 8, 5, 11 *rei narratae vel probatae summa adclamatio.* Idem citat Verg. Aen. 1, 33: *tantae molis erat Romanam condere gentem;* similiter in fine longioris expositionis a Cic. in V. 3, 7 dicitur: *Verrem amatis*, in extrema or. Ph. VI, 19: *aliae nationes servitutem pati possunt, populi R. est propria libertas*, Sest. 54: *consules epulabantur*; cf. Mil. 9, quem locum Quintil. et Dem. XV, 21, quem Volkm. Rh. 389 et V. 5, 119, quem Rufin. (H. 45) adhibet; vide etiam D. VI, 27.

Priusquam ad verborum figg. exponendas aggrediar, liceat ea summatim perstringere, quae praeterea ad sententiarum figg. a technographis referuntur. Atque προδιόρθωσίς ἐστιν, ὅταν μέλλωμέν τι τοιοῦτον λέγειν, ὃ δεῖταί τινος θεραπείας, ὥστε μὴ χαλεπῶς αὐτὸ προσδέξασθαι τὸν ἀκροατήν, καὶ προθεραπεύωμεν αὐτόν[83]), quae mitigatio si praecedit π., si subsequitur ἐπιδ. (cf. p. 105 sq.) appellatur. Exempla sunt Cic. V. 1, 10 *metuo ne quid arrogantius apud tales viros videar dicere*, Ph. X, 19 *erumpat enim aliquando vera et me digna vox;* cf. Dem. XVIII, 59, 199, 256, VIII, 21, 24, 32, IX, 3, 5, XIX, 96, 224, 227, 237, XXIII, 1, 19, 47, 139, 144, 204 etc. Cic. dom. 25; Vat. 15; Pis. 32; 81; Planc. 24; Mil. 29; 65; 103; Mur. 22 etc.

Talia ad dicendi libertatem praeparandum ascisci solent, quae ipsa a quibusdam in figg. recipitur et Graece παρρησία appellatur a Rutil. 20, Rufin. 46, Isid. 520; Cornif. 4, 36, 48 licentiam dicit, *cum apud eos, quos aut vereri aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure nostro dicimus, quod eos minime offendat, quo eos aliquo in errato vere reprehendere videamur. — At quid minus figuratum quam vera libertas? sed frequenter sub hac facie latet adulatio; nam Cic. cum dicit pro Lig.* (7) *»suscepto bello, Caesar, gesto iam etiam ex parte magna nulla vi coactus consilio ac voluntate mea ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te« magis laudare victoris*

---

[83]) Alex. 14; cf. Phoeb. 51, Tiber. 62, Herod. 95, Aquil. 23.

clementiam non potest[84]); cf. ib. 10. Vera autem libertas invenitur ap. Cic. Ph. X, 19, Dem. XVIII, 138, XXIII, 146 sq. 204, XIX, 227, magnaeque partes orr. IV. et LI. in hac ratione versantur.

Προκατάληψις est, *cum id, quod adversarius arrepturus est atque obiecturus, praesumimus*[85]). Haec forma dicendi propria est accusationum; itaque Dem., cuius omnes fere orationes privatae in accusatione versantur, in hoc g. frequentissimus est. Cic. exhibet V. 2, 149 *mihi renuntiatur ita constitui a tuis patronis causam tuam* etc. ib. 5, 22 *provideo, quid sit defensurus Hortensius*; cf. Caecil. 40; 55; D, XIX, 80, 88, 95, 134, 147, 171, 182, 201, 221, 235, 237, 310, 332, 335, 337, XXI, 25 sqq. 29, 36, 41, 99, 141, 160, 169, 186, 189, 191, 193 etc.

Μετάστασιν, transmotionem, quidam inter figg. nominavit, cum rem a nobis alio transmovemus. Tale illud pro Cornelio (I. fr. 37) *videri potest de aerario: »Refertum«, inquit, »tribuniciis legibus, exhaustum a quibus sit ipsi sciunt«*[85]). Similiter adhibetur Cat. II, 3 *non est ista mea culpa, sed temporum.* Dem. de cor. 18 *τοῦ Φωκικοῦ συστάντος πολέμου, οὐ δι' ἐμὲ κτλ.*

Συναθροισμὸς δέ ἐστιν συναγωγὴ τῶν πεπραγμένων εἰς ἓν κεφάλαιον, ὥς φησι Δημοσθένης, ἀλλ' ὁ τὴν Εὔβοιαν ἐκεῖνος σφετεριζόμενος καὶ κατασκευάζων ἐπιτείχισμα ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν καὶ Μεγάροις ἐπιχειρῶν καὶ καταλαμβάνων Ὠρεὸν κτλ.[86]); cf. cod. Eckst. 75 et Cic. Mil. 72 etc. *Ἐπιτροχασμός ἐστι προσκείμενον σχῆμα τῷ τε συναθροισμῷ καὶ τῇ ἐπιμονῇ, διαφέρει δὲ ἐκείνου, ὅτι τὰ πολὺ διεστηκότα συνάγει — ὡς ἔχει τὸ Δημοσθενικόν, ἀλλ' ἐφ' Ἑλλήσποντον οἴχεται, πρότερον ἧκεν ἐπ' Ἀμβρακίαν, Ἦλιν ἔχει — Μεγάροις ἐπεβούλευσε πρώην*[87]). Cf. cod. Eckst. 72, Cic. V. 4, 48. *Ἐπιμονῆς*[88]) autem vis ex ipso nomine elucet, exemplum est Dem. XVIII, 43 *οἱ κατάπτυστοι Θετταλοὶ φίλον, εὐεργέτην, σωτῆρα τὸν Φ. ἡγοῦντο· πάντ' ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς·* cf. XXI, 74, Cic. V. 4, 67; 93; 5, 23; 59; 136 sq. etc. In his tribus neque reconditum ullum artificium deprehendere possum nec definire, quo usque quidque valere putemus.

Ὁρισμὸς fit, cum definimus aliquam rem nostrae causae ad utilitatem[89]). Ciceroniana huius g. esse videntur haec: Ph. II, 113 *pax est tranquilla libertas, servitus postremum malorum omnium,* XI, 28 *est lex nihil aliud nisi recta et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria*; cf. Marc. 26; Ph. II, 70; XIII, 14; Dem. XVIII, 123, 189 etc. — Ap. Cornif. 4, 40, 52 inter sententiarum exornationes *diviso est, quae rem semovens a re utramque*

---

[84]) Quintil. 9, 2, 27 sq. [85]) Ps. Rufin. 60; cf. Alex. 16, Phoeb. 51, Zon. 161. [85]) Aquil. 26; cf. cod. Eckst. 73, Alex. 26 etc. [86]) Alex. 17; Dem. de cor. 71. [87]) ib. 22; D. IX, 27. [88]) ib. 17; cf. Phoeb. 47, Tiber. 74 etc. [89]) Rutil. 14; cf. carm. de figg. 67, Herod. 98.

absolvit ratione subiecta, *hoc modo: cur ego nunc tibi quicquam obiciam? si probus es, non meruisti; sin improbus, non commovere*[90]. Cf. Dem. XVIII, 217, 196, XVI, 23, XXIV, 122, XXXII, 16; Cic. Quinct. 81; Caecil. 31; 45; V. 2, 150; 166; Caecin. 69; Rab. p. 19; Cael. 52; 53; Planc. 13; 35; Ph. II, 56; 100; III, 21; 14 etc.

Μερισμὸς a Rutil. 10 sic definitur: *Hoc schema singulas res separatim disponendo et suum cuique tribuendo magnam efficere utilitatem et illustrem consuevit*[91]. Herod. 94 citat H. I, 593 *ἄνδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τι πῦρ ἀμαθύνει, τέκνα δέ τ' ἄλλοι ἄγουσι βαθυζώνους τε γυναῖκας·* Halmius laudat Cic. Mil. 20 *P. Clodii mortem aequo animo ferre nemo potest. Luget senatus, maeret equester ordo, tota civitas confecta senio est, squalent municipia, afflictantur coloniae, agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.* Cf. Pis. 45; 96; V. 2, 46; 84; 3, 23; Font. 43; Pomp. 29; Cluent. 129; l. a. II, 102; Sest. 32; Balb. 1; 2; Ph. II, 99 etc. Haec dicendi forma, quamquam non est fig. iudicanda, tamen magnam habet vim amplificandi. — *Αὐτοσχέδιον*, quae a Tib. 66 fig. habetur, mihi non tam f. esse videtur, quam proprietas quaedam aliarum sent. figg. velut correctionis, communicationis, dubitationis. Tib. l. c. adhibet Dem. XXIV, 122 *μεταξὺ λέγων περὶ τούτων ἐνεθυμήθην·* XIX, 234 est: *μικροῦ γε, ἃ μάλιστα μ' ἔδει εἰπεῖν, παρῆλθον*, cf. XXI, 110. Cic. V. 3, 80; 4, 43; 57; sed talia melius correctioni subiiciuntur. Quoniam igitur in sent. figg. satis multus fui, ne ultra modum progrediar, res ipsa monet, ut ad id genus explicandum accedam, quod tertium proposui.

De figuris verborum

sive elocutionis incipienti scribere, quia pleraque iam in superioribus praesumpta sunt, non multa mihi universe praefanda videntur [1]. Sunt igitur hae figg. eae exornationes orationis, quae salva sententia artificioso quodam et a communi consuetudine remoto dicendi modo conformantur [2]. Adhibentur autem ad fastidium varietate vitandum; ut enim cibi condimentis fiunt dulciores, sic his figg. oratio maiore quadam suavitate aspergitur [3]. Neque tamen solum delectationis causa assumuntur, sed saepe etiam rerum et sententiarum vim et gravitatem augent [4]. Efficiuntur autem variis modis, verborum aut collocatione aut repetitione aut detractione aut ea electione, ut soni quaedam festivitates et deliciae

[90]) cf. Hermog. Sp. II, 250, qui διλήμματον vocat. [91]) cf. carm. de figg. 66, Anon. Sp. I, 428, Ruf. ib. 465. [1]) cf. Dzial. 3 sqq. [2]) cf. G. Herm. op. ac. I, 105. [3]) Demetr. ap. Sp. III, 276, Quintil. 9, 3, 3 sqq., Cic. or. 134. [4]) cf. Gross. 136.

consequantur, aut studio quodam quadrandae orationis. Ac primum de eis huius g. formis agamus, quae existunt repetitione aut adiectione quorundam verborum.

Anaphora

definitur a Phoeb. 46 *πλειόνων στίχων ἢ κώλων ἀπὸ τῶν αὐτῶν τοῦ λόγου μερῶν ἀρχή*. Ap. Cic. de or. 3, 206 dicitur *eiusdem verbi crebra a primo repetitio* (cf. or. 135), a Rutil. 6 *ἐπιβολή*, a Cornif. 4, 13, 19 repetitio, a plerisque Graecis *ἐπαναφορά*; a Quintil. 9, 3, 30 describitur, non nominatur [5]). In hac fig. facile perspici potest, quam leve saepe discrimen sit inter vitium et virtutem orationis. Nam cum vulgo eiusdem verbi sine certa ratione repetitio vitiosissima putetur, tamen si ad certum finem dirigitur et rei amplificandae causa adhibetur, maxime laudanda est. Vis autem anaphorae mihi ea esse videtur, ut, cum plures res ad unum aliquid efficiendum conferantur eaeque saepe maxime diversae et contrariae, hic ad unum finem quasi consensus et conspiratio eiusdem verbi repetitione exprimatur et illustretur; Tiber. 73 eam *ἐνέργειαν καὶ λαμπρότητα ἐργάζεσθαι* scribit, Demetr. 319 *δεινότητος* effectricem esse, Cornif. cum multum habere venustatis, tum gravitatis et acrimoniae plurimum. Plerumque cum asyndeto coniuncta est; sed repetitione eiusdem verbi ipsa fit quaedam iunctura. Etiam anaphora sensim et gradatim ex sermone communi ad maiorem audaciam ascendit; nam in repetitione quorundam verborum ut »modo, tum, nunc, partim, alter, alius« nulla figurandi vis sentitur; sentitur, si haec ratio longius procedit, ut Sest. 46. *Hac fig. vel frequentissime et Dem. et C. et omnes vehementes oratores utuntur, quando praecipue et ipsi commoti videri volunt et iudicem commovere*, dicit Aquil. 32; etiam Blass. III₁, 144 Demosthenem anaphora multo saepius usum esse tradit, quam superiores oratores Atticos. Tamen in hoc g. D. frequentia a C. adeo superatur, ut prae hoc ne appareat quidem; nam in omnibus Ciceronis, quae extant, orationibus plus quam tria milia exemplorum inveniuntur, ut singula fere in singulas paragraphos cadant. Atque si privatae Demosthenis orationes, quae nequaquam tantum inpetum et spiritum prae se ferunt quantum publicae, ex hac comparatione subducuntur, tamen vix quinta decima pars pro portione ap. D. deprehenditur. Bipertita igitur ap. Cic. ita est frequentissima, ut eam in nonnullis orationibus tripertita numero aequet, in Pisoniana vero haec ratio convertatur. Etiam ex quattuor et quinque membris tam saepe constat, ut exempla enumerare supersedeam. Senae repetitiones occurrunt ap. C. praeter ceteras orr. p. r. s. 6; 8; 29; dom. 54; har. r. 6; 33; Sest. 5; 46; 83; 97; Pis. 32; 41; 47; 75; ex D. omnia huius notae sunt

[5]) cf. Gerb. II_1, 195 sqq. Dzial. 8, Blass. II, 162, Gross. 154 etc.

III, 16, XXIV, 119, 216, XXIX, 45, XXXVI, 53. Septies idem redit verbum ap. D. de cor. 244, 265, 310; ap. C. V. I, 15; 1, 136; Tull. 32; Pomp. 30; Cluent. 41; l. a. I, 24; Cat. II, 25; Flacc. 6; p. r. s. 1; 34; dom. 55; 147; har. r. 44; Sest. 39; 119; Vat. 5; Cael. 42; 57; Balb. 35; Planc. 9; Ph. XI, 33; XII, 20. Octonae repetitiones inveniuntur Rosc. A. 98; V. 5, 144; Font. 23; Cat. IV, 18; 23; 24; Flacc. fr. Med. Sest. 66; Cael. 13; 53; prov. c. 35; Pis. 60; 66; ap. D. XXIII, 215 sqq. Novies idem revertitur ap. C. V. 2, 185; p. r. p. 13; har. r. 39; Pis. 38; 87 sq. Mil. 67; 73 sqq. Decies idem verbum repetitur ap. Cic. V. 5, 83; 184 sqq., undecies Sull. 19; D. XIX, 334, duodecies C. Rab. p. 21. Balb. 64 »si« terdecies resumitur, l. a. II, 98 sq. »ut«, Pis. 98 »qui«, id. Cluent. 125. In Cat. II, 7 legitur: *Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subiector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor iuventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Cat. non familiarissime vixisse fateatur?* cf. V. 5, 136 sq.; Sull. 26. In part. 112 »si« ter et vicies revertitur: *Spectantur etiam ad causam facti motus animorum, si ira recens, si odium vetus, si ulciscendi studium, si iniuriae dolor, si honoris, si gloriae, si imperii, si pecuniae cupiditas, si periculi timor, si aes alienum, si angustiae rei familiaris, si audax, si levis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans, si commota mente, si vinolentus, si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi aut, si patefactum esset, depellendi criminis* etc.[6]) Etiam duplicata haec fig. saepe legitur, quae exempla simul fere in contentionis sive antitheti rationem cadunt[7]). Alex. 29 adhibet D. de cor. 48 *μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὠνομάζετο Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον· μέχρι τούτου Τιμόλαος, ἕως ἀπώλεσε Θήβας· μέχρι τούτου Εὔδικος καὶ Σῖμος, ἕως Θετταλίαν ὑπὸ Φιλίππῳ ἐποίησαν·* cf. XXI, 203, XIX, 278, XXIII, 50, VIII, 65, LV, 13. Ap. C. multa huius m. exempla exstant: Rosc. A. 13 *accusant ii, qui in fortunas huius invaserunt: causam dicit is, cui praeter calamitatem nihil reliquerunt: accusant ii, quibus occidi patrem Sex. Roscii bono fuit: causam dicit is, cui mors patris attulit egestatem: a. i., qui hunc iugulare summe cupierunt: c. d. i., qui* etc. cf. ib. 44; 72; 88; Quinct. 43 sq. 97; Rosc. C. 3; 4 bis; 7; 15; 17; 23; 25; 29; Caecil. 44; V. 1, 9; 3, 127; 4, 112; 5, 85; Caecin. 63; 76 sq. Cluent. 199; Sull. 15; Cat. II, 25; Cael. 54; Balb. 1; Lig. 27; Dei. 31; Ph. XII, 2 etc. Plurima huius g. exhibet or. p. Rosc. C., quae omnino antithetorum et isocolorum et similium plena est. Alex. l. c. dicit anaphoram fieri non modo *ἐπὶ τῶν προη-*

---

[6]) Etiam Paulus Apostolus in hoc g. creber est et in ep. ad Hebr. 11, 4 sqq. praeclarum exemplum exhibet, ubi duodevicies initio cuiusque versus »fide« repetitur. [7]) cf. Voss. V, 286.

γουμένων κώλων, sed etiam *ἐπὶ τῶν ἑξῆς*. Huius g. est illud Demosthenicum de cor. 265 *ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δ' ἐφοίτων. ἐτέλεις, ἐγὼ δ' ἐτελούμην. ἐχόρευες, ἐγὼ δ' ἐχορήγουν κτλ.* cf. ib. XXIII, 215, C. Pis. 15; Mil. 15; Sest. 44; Balb. 65. Singulare quiddam habet Cic. Cluent. 173: *faciliusne potuit quam in poculo? latius potuit abditum aliqua in parte panis, quam colliquefactum in potione? celerius potuit comestum quam epotum in venas permanare* etc. etiam aliis locis verbum, quod repetitur, non primum ponitur, ut Cael. 6 *accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet* etc. cf. har. r. 58; Sest. 3 etc. Alia quaestio est, utrum in anaphora ambitus sive comprehensiones an membra an caesa frequentiora sint[8]). Quamquam non satis fixum esse puto, quem ad finem horum quidque pertineat, tamen id statui posse existimo, plerumque in a. orationem caesim procedere, saepe per membra, rarissime per ambitus. Quod cum ipso praecepto Ciceronis or. 221 congruit, quo loco monet, in veris causis raro circumscripte dicendum esse. Plurimae autem anaphorae non uno aliquo dictionis genere continentur, sed mixtae sunt, ut comprehensiones membris vel membra caesis excipiantur. Exempla, quae per ambitus devolvuntur, invenies Mur. 56 et Flacc. 62 sq. etc.

Neque porro non refert ad gravitatem et vim huius fig., utrum ab eodem verbo totae sententiae et plenae an inchoatae initium capiant; ap. Cic. quidem longe maxima pars anaphorarum sententiis inchoatis constat. Verborum autem, quae repetuntur, nomina maximeque propria rarissima, pronomina autem et quaedam coniunctiones et particulae creberrimae in hac ratione esse videntur. Sententiae quoque totae non numquam repetuntur, ut V. 3, 123 *cum scribit se lege Hieronica vendidisse, quid scribit?* etc. cf. Quinct. 52; 85; Ph. VIII, 6. Saepe etiam cum aliis figg. a. coniungitur inprimis cum isocolo, homoeoteleuto, polyptoto (singulare est Pis. 75 *tu quid, tu apud quos, tu de quo dicas intelligis?*), interrogatione, assonantia sive alliteratione (Blass. citat D. XXI, 61 *οὕτως εὐλαβῶς, οὕτως εὐσεβῶς, οὕτω μετρίως*) etc., quae partim postea tractabuntur; nonnulla exempla habent cum conduplicatione quandam propinquitatem ut har. r. 4; V. 4, 101. Postremo locos aliquos notabo, in quibus multae a. coacervantur; saepe enim fit, non solum ut idem exemplum per plures paragraphos ducatur, sed etiam ut una paragrapho plura contineantur, quin etiam illud non raro accidit, ut in uno eodemque exemplo singulae partes rursus aliis anaphoris varientur, ut l. a. II, 98 sq. *H a e c tu sceleris vestigia sequi maluisti; h a e c excogitasti, u t vetera vectigalia — u t sub vestrum ius, iuris dictionem, potestatem terrarum orbem subiungeretis; u t cum pecuniam e x aerario exhausissetis, e x vectigalibus redegissetis, a b regibus, a b imperatoribus coegissetis, tamen omnes vobis pecunias ad nutum pen-*

---

[8]) Hermog. Sp. II, 335 dicit: καλλωπίζουσι αἱ κατὰ κῶλον ἐπαναφοραί, et paulo post: αἱ κατὰ κόμμα — γοργὸν ποιοῦσι τὸν λόγον ἀλλ' οὐ καλόν· cf. ib. 346.

derent; ut agros pestilentes, quanti velletis, populo R. induceretis; ut municipia colonis occuparetis, ut colonias collocaretis: ut rem p. vestris militibus, vestris urbibus, vestris praesidiis cingeretis; ut Pompeium horum conspectu privare possetis; ut nihil auro violari, nihil suffragiis declarari, nihil vi et manu perfringi posset, quod non vos oppressum teneretis; ut volitaretis per gentes, per regna cum imperio summo, cum iudicio infinito, cum omni pecunia; ut veniretis in castra Pompeii; ut magistratus legibus soluti sine metu iudiciorum, sine periculo petere possetis; ut nemo ad populum R. vos adducere, nemo producere, non senatus cogere, non consul coercere, non tribunus pl. retinere posset. Cf. V. 4, 7; 5, 184 sqq. Pomp. 28; Cluent. 29; p. r. s. 8; 20; har. r. 12; Balb. 64; Mil. 72 sqq. etc. Anaphorae contraria est

Antistrophe,

crebra eiusdem verbi in extremum conversio[9]). A Graecis plerumque ἀντιστροφή, a Rutil. 6 ἐπιφορά, a Ps. Rufin. 52 ἐπιστροφή, a Cornif. 4, 13, 19 conversio dicitur. Huius rei vestigium quoddam iam in talibus deprehenditur: C. Rosc. A. 74 *cui dedit? per quem dedit? quantum dedit?* cf. V. 2, 188; Cluent. 124; l. a. I, 14; Sull. 85; prov. c. 41. Insigniora sunt haec: V. 2, 27 *Comites tui — manus erant tuae: praefecti, scribae, medici — manus erant tuae: ut quisque te maxime cognatione — attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors illa — tua manus sine controversia fuit;* Ph. I, 24 *de exsilio reducti a mortuo: civitas data — a m.: — sublata vectigalia a. m.* cf. Tull. 34; Font. 8; Ph. II, 55. Ex D. relegi possunt I, 4, 11, 10, II, 29, III, 19, IV, 27, 43, VIII, 66, XX, 143, 119, XXI, 135, 198. Sed his omnibus locis haec ratio haud scio an non sentiatur; XVIII, 198 reperitur: *πράττεταί τι τῶν ὑμῖν δοκούντων συμφέρειν, ἄφωνος Αἰσχίνης. ἀντέκρουσέ τι —, πάρεστιν Α.*[10]). Utraque ratio et anaphorae et antistrophes iuncta est in

Symploce,

quam Graeci, sive complexione, quam Cornif. 4, 14, 20 appellat; a Rutil. 7 κοινότης nominatur. Haec forma dicendi rarissima est. In C. Mil. 59 est: *Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? A.* etc. l. a. II, 22 *Quis legem tulit? Rullus* etc. quae tamen ipsa exempla, cum nomina Appius et Rullus non sint extrema sententiae praecedentis

---

[9]) Cic. de or. 3, 206. [10]) Etiam ap. Paul. exstat huius g. exemplum Corinth. II, 11, 22: *Hebraei sunt, et ego. Israelitae sunt, et ego. Semen Abrahae sunt, et ego.*

verba, sed prima sequentis, quae per ellipsin enuntiatur, rectius anaphorae duplici subiiciantur. In C. V. 5, 133 lego: *hoc navarchi dicunt: hoc Netinorum civitas dicit: hoc Amestratini dicunt* etc. cf. Rosc. C. 12; D. habet XLV, 37 *ἐμαρτύρησε μὲν Ν. ἐπιτροπεῦσαι κατὰ τὴν διαθήκην, ἐμαρτύρησε δὲ Π. ἐπιτροπευθῆναι κατὰ τ. δ. κτέ.* Sequitur

Conduplicatio,

quae a Cornif. 4, 28, 38 definitur *eiusdem unius aut plurium verborum iteratio*, plenius Dzial. 8, qui veterum de hac re doctrinam complectitur, scribit, *ἐπανάληψιν esse unius vel plurium verborum post verba interposita vel non interposita iterationem.* Magna est de hac re veterum confusio aliorum unum genus aliorum plura statuentium, nec minor est nominum varietas; nam apud Graecos nomina *ἐπανάληψις, ἀναδίπλωσις, παλιλογία, ἐπίζευξις, ἐπαναφορά,* ap. Latinos iteratio, repetitio, resumptio, duplicatio occurrunt, a quibusdam ut a Tryph. 203, Coc. 242, Georg. 252 etiam in tropis commemoratur. Nos, quoniam nominibus vis rerum non mutatur, neglectis his dissensionibus rem ipsam studeamus tenere [10]). Atque utilitatem huius fig. Cornif. bene describit illustri similitudine ascita: *eiusd. redintegratio verbi vulnus maius efficit in contrario causae, quasi aliquod telum saepius perveniat in eandem partem corporis.* Ab anaphora autem vis eius eo differre videtur, quod illic numero et multitudine res amplificatur, hic una aliqua res separatim premitur et hac iteratione gravius et vehementius effertur. Demetr. 293 sq. *ἀναδίπλωσιν δεινότητα* efficere scribit, atque Sappfus clarum exemplum adhibet, *ὅπου νύμφη πρὸς τὴν παρθενίαν φησί, παρθενία, παρθενία, ποῖ με λιποῦσα οἴχῃ· ἡ δὲ ἀποκρίνεται πρὸς αὐτὴν τῷ αὐτῷ σχήματι, οὐκ ἔτι ἥξω πρὸς σέ, οὐκ ἔτι ἥξω·* Phoeb. 56 citat H. *E*, 31 *Ἄρες, Ἄρες, βροτολοιγὲ, μιαιφόνε.* Ac Cic. eius formae, in qua nihil inter verba, quae iterantur, interponitur, haec praebet exempla: Cat. I, 3 *fuit, fuit ista quondam in hac re p. virtus*, et ib. *nos, nos, dico aperte, consules desumus*; cf. Font. 25; Pomp. 32; D. IX, 36; cum ironia V. 2, 76 *retinete, retinete hominem in civitate*; saepe vis huius artificii adiecto verbo »inquam« etiam acrius intenditur, ut Cluent. 168 *testis est — pater: pater, inquam.* Cf. Quinct. 37; Rosc. C. 37; 43; V. 1, 143; 3, 106; 197; 5, 128; 162; Font. 3; 4; Caecin. 36; Cluent. 62; l. a. I, 12; Cat. I, 9; III, 22; Mur. 78; 80; 81; Flacc. 3; 73; 94; p. r. s. 33; dom. 124; har. r. 22: Sest. 45; 121; Planc. 98; Rab. P. 13; Lig. 15; Dei. 12; Ph. II, 37; 53; 112; IV, 3; V, 33; VIII, 22; XII, 3; 7; VIII, 41. D. exhibet XXI, 174 *ἀλλ' ἵππον, ἵππον οὐκ ἐτόλμησεν ὁ λαμπρὸς οὗτος πρίασθαι·* cf. XIX. 209, 224; notissimum est illud

[10]) cf. Cic. or. 135, part. 54, de or. 3, 206, Quintil. 9, 3, 28, Gross 160.

eius *οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστιν*, ut in Aphob. I, 57 *οὐκ ἔστι ταῦτ', ὦ ἄνδρες δικασταί, οὐκ ἔστιν·* cf. IV, 46, VIII, 61, XVIII, 24, 208, XIX, 123, 296, XXI, 46, XXIII, 127, XXIX, 49. Ita saepe inter verba, quae iterantur, aliquid interponitur, aut particula aut vocativus aut tota sententia, atque talibus minoris ponderis verbis interiectis vis eius, quod duplicatur, etiam vehementius augetur, ut IV, 10 *πότ' οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πότε ἃ χρὴ πράξετε;* Etiam plura verba non numquam revocantur, ut C. V. 2, 114, *denique nunc vide, quid inter te — vide, inquam, quid inter te et hunc Siculum intersit;* sed talia fiunt fere pluribus verbis interpositis magis perspicuitatis causa, ut non figuris sint accensenda. Cf. Dem. XVIII, 47, 141, 242, 308, XIX, 96, 97, 222, 267, XXI, 119, XXII, 31, 78, XL, 53, I, 19, XLV, 80, IV, 18, III, 33, VIII, 77, XXVIII, 20, XXIV, 186; Cic. V. 1, 49; 61; 89; 95; 128; 2, 59; 128; 183; 3, 17; 18; 27; 59; 110; 129; 132; 153; 4, 17; 67; 116; 5, 4; 31; 75; 77; 153; 165; 177; Font. 11; 40; Cluent. 12; 65; l. a. III, 12; Rab. p. 23; Mur. 14; Flacc. 103; har. r. 8; 22; Caecin. 24; Caecil. 32; Cael. 14; 30; 59; Pis. 19; 37; Planc. 11; 87; 101; Rab. P. 35; Mil. 21, 33; Dei. 8; Ph. I, 31; II, 64; IX, 8; XI, 9 etc. Interdum fit, ut non idem verbum iteretur, sed aliud ponatur, quod idem valeat, ut V. 4, 101 *id concupisti, quod numquam videras: id, inquam, adamasti, quod antea non aspexeras;* cf. ib. 5; 154; 169; Caecin. 74; Rab. p. 27; har. r. 4; Sest. 26; Vat. 24; Rab. P. 22; Mil. 86. Raro ter idem verbum revocatur, ut Soph. Oed. C. 209 *μή, μή, μή μ' ἀνέρῃ·* C. habet V. 3, 137 *Teneo, teneo, inquam, in mediis vectigalibus populi R. furem manifesto avertentem rem frumentariam omnem; teneo, inquam, ut negare non possit;* cf. Mil. 67. Singulare quoddam conduplicationis genus est, cum idem verbum non simpliciter repetitur, sed simul aliquid rei magis explanandae causa adiicitur, ut Lig. 2 *Habes — confitentem reum, sed tamen hoc confitentem* etc. cf. Quinct. 14; 73; V. 1, 13, 2, 51; 177; 3, 65; 152; 168; 169; 178; 190; 204; 217 etc. D. VIII, 55, XXI, 42; XXVIII, 143; 221 etc. In hac fig. D. est ille quidem parcior quam C., simul autem id considerandum est, quod Blass. III_1, 147 dicit, Demosthenem primum talia in dicendo tractasse; nam ante nulli nisi poetae tragici ea usurparant. Eiusd. g. cuius conduplicatio est

Reduplicatio

sive *ἀναδίπλωσις* Aquilae 32, in qua ea, *quae in superiore membro postrema ponuntur, in posteriore prima repetuntur.* Etiam hic nomen *παλιλογία* occurrit, a Tiber. 70 *ἀναστροφὴ* sive *ἐπαναδίπλωσις*, ab Hermog. 336 *ἐπαναστροφὴ* appellatur [11]. Hermog. citat D. de cor.

---

[11]) cf. Dzial. 10.

13 *οὐ δήπου Κτησιφῶντα μὲν δύναται διώκειν δι᾽ ἐμὲ, ἐμὲ δ᾽, εἴπερ ἐξελέγξειν ἐνόμιζεν, αὐτὸν οὐκ ἂν ἐγράψατο·* VIII, 25 legitur: *χρήματα λαμβάνουσι. λαμβάνουσι δὲ οἱ μὲν ἔχοντες μίαν κτέ.* cf. XVIII, 35. Talia autem, quale est ib. 115 *λέγω, λέγε*, XX, 55 *ἀκούσας, ἀκοῦσαι* hinc praecidamus, ne res in infinitum serpat. C. exhibet talia: Ph. II, 15 *Tu ad eum de re p. nihil referas: referas ad eos, qui suam rem nullam habent, tuam exhauriunt?* cf. Cat. 1, 2; V. 3, 70; Ph. XIII, 10; Rosc. C. 20.

Κύκλος

γίνεται, ὅταν ἀφ᾽ οὗ ἄρξηταί τις ὀνόματος ἢ ῥήματος, εἰς τὸ αὐτὸ καταλήξῃ πάλιν μήτε πτῶσιν ἐναλλάξας μήτε σχῆμα μήτε χρόνον μήτε ἀριθμόν [12]). Quod si hanc legem servamus, illud Ph. I, 7 *exposui profectionis consilium, nunc reversionis exponam* et similia hinc excludenda sunt (cf. D. XXIX, 55 sqq.). Etiam exempla huius m. sunt satis trita C. Marc. 17 *vidimus tuam victoriam —: gladium vagina vacuum non vidimus*; l. a. II, 20; 24; Mil. 95; Rosc. C. 1; D. XIX, 289; in C. l. a. II, 61 est: *nihil sibi appetit praecipui Pompeius, nihil*; cf. har. r. 37; V. 4, 80; 5, 119; 154; 163; 175; Cluent. 96; Mil. 70; Dem. XIX, 97, 186, 232, 255, XXI, 112. Sed haec exempla rectius ei conduplicationis formae subiunguntur, qua idem verbum compluribus vocabulis interpositis vel tota sententia interiecta iteratur; nam id, quod hic revocatur, non postremum sententiae verbum est, sed primum eius, quae ex parte tantum enuntiatur. Alia autem est ratio horum: C. V. 2, 77 *habeatis sane istum vobiscum senatorem; etiam de vobis iudicem, si vultis, habeatis*; cf. ib. 3, 178; Quinct. 85; D. X, 73 exhibet: *σοὶ μὲν ἦν κλέπτης ὁ πατὴρ, εἴπερ ἦν ὅμοιος σοί·* cf. XX, 73.

Gradatio,

de qua nunc agetur, mihi nihil aliud esse videtur quam reduplicatio longius ducta; *repetit enim quae dicta sunt, et priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. Apertiorem habet artem et magis adfectatam ideoque esse rarior debet* [13]). A Graecis plerumque *κλῖμαξ*, a Rutilio (8) uno *ἐπιπλοκὴ* dicitur. Exemplum a plurimis citatum est ap. Dem. de cor. 179 *οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δὲ, οὐδ᾽*

---

[12]) Hermog. 252. cf. Aquilae 32 προσαπόδοσιν, Ps. Rufin. 50 ἐπαναδίπλωσιν, Dzial. 9. [13]) Quintil. 9, 3, 54 sq. cf. C. de or. 3, 207, part. 54, or. 135 *cum gradatim sursum versum reditur*, Hermog. 337 τῶν ἐπιφανῶς καλλωπιζόντων ἐστὶ μετὰ ἐναργείας καὶ τὸ κλιμακωτὸν καλούμενον σχῆμα, Tiber. 72 πλήθους ἔμφασιν ἐργάζεται, Cornif. 4, 25, 34, Demetr. 320 etc.

ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δὲ, οὐδ' ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀρχῆς διὰ πάντων ἄχρι τῆς τελευτῆς διεξῆλθον. LIV, 19 reperitur: ὑπάγεσθαι ἐκ μὲν λοιδορίας εἰς πληγὰς, ἐκ δὲ πληγῶν εἰς τραύματα, ἐκ δὲ τραυμάτων εἰς θάνατον· cf. IX, 27. Ex C. citari solet Mil. 61; potest autem etiam Quinct. 40 *si debuisset, petisses statim; si non statim, paulo quidem post, si non paulo, at aliquanto* etc. cf. Rosc. A. 75; V. 3, 181; 171; Rosc. C. 12; cum correctione coniungitur Ph. XII, 7 *Quid potest rei p. prodesse legatio? Prodesse dico? Quid, si etiam obfutura est? Obfutura? Quid, si iam obfuit?* Anon. III, 183 affert Greg. Naz. p. 616 ἄληπτον οὖν τὸ θεῖον, ἵνα θαυμάζηται, θαυμαζόμενον δὲ ποθῆται, ποθούμενον δὲ καθαίρῃ, καθαῖρον δὲ θεοειδεῖς ἀπεργάζηται. Neque Paul. Apost. talia plane reiicit; nam in ep. ad Rom. 8, 29 exhibet: *quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui —. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit*; cf. ib. 5, 3 sq. et 10, 14 sq.[14]).

A recentioribus nomen κλῖμαξ alio sensu accipitur, quin etiam novum formatur ἀντικλῖμαξ; ut enim Kleutgenis (69) verbis utar, *gradationem hodie vocant omnem orationem, quae per maiora ad maximum ascendit, aut ad minimum per minora descendit*[15]). Fit autem hoc tum in singulis verbis tum in sententiis; in verbis fit ap. Cic. V. 1, 78 *videris, audieris, concupieris, cogitaris*, ib. 3, 59 *vincula, carcerem, verbera, secures, crucem*, 4, 112 *servi fugitivi, barbari, hostes*, Balb. 58 *re, verbo, vultu*, Sest. 15 *facta, dicta, consilia*; cf. Cat. I, 8; V. I, 11; 2, 134; Cluent. 188; Arch. 8; Sest. 66; Vat. 19; Ph. II, 104; V. 3; 25 etc. Dem. XXIX, 32 ῥήτωρ ἢ σοφιστὴς ἢ γόης· cf. IX, 16, XVIII, 43, XIX, 23; in sententiis ap. C. V. 5, 170 *facinus est vincire civem R., scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?* Cat. I, 2 *Vivit — in senatum venit: fit publici consilii particeps* etc. cf. V. 3, 96; 111; 221; Ph. II, 99 etc.

Quasi praetereuntes etiam ἐπανόδῳ, quod nomen ap. Zon. 166 invenitur, satis faciamus; est autem ἐ., *cum duobus brevius propositis ad singulorum enarrationem recurritur*[16]). Rutil. eam 3 sq. προσαπόδοσιν appellat et citat Demosthenis fragm. (Saupp. p. 256) in Latinum versum: *Non pari ratione Philippus atque nos adversis rebus*

---

[14]) Ut etiam ioco aliquid concedamus, Gerb. II$_2$, 206 citat ex carmine populari: Der Teufel holt den Henker nicht, der Henker hängt den Schlächter nicht, d. Schl. schlacht den Ochsen n., d. O. säuft das Wasser n., d. W. löscht das Feuer n., d. F. brennt den Prügel n., d. P. schlägt den Pudel n., d. P. beisst den Jokel n., d. J. schneidt den Hafer n. und kommt auch nicht nach Haus. Cf. H. *B*, 102. [15]) Quintil. 8, 4, 3 hoc incrementum vocat; cf. Volkm. Ph. 382. [16]) Ps. Rufin. 53.

medetur, sed ille usque eo nititur, quoad restituat atque exsuperet; nos contra statim vinci meditamur. Cf. D. III, 1, IX, 61, XVIII, 215, XXIV, 159 etc C. V. 4, 120 etc. sed quid est magis vulgare ac minus figuratum? Etiam

Polysyndeton

est forma repetitionis. Definitur autem a Donato K. IV, 399 *multis nexa coniunctionibus dictio*[17]), a technographis Graecis non tractatur, cuius rei Dzial. (14) recte eam causam esse dicit, quod coniunctiones a Graecis tam crebro libenterque etiam in oratione non eleganti et pedestri usurpatae sint, ut iis singularis ornatus esse non videretur; Hermog. 453 sq. eius vim ita describit: *τὸ ἀσύνδετον καὶ τὸ μετὰ τῶν συνδέσμων λεγόμενον ἐργάζεται μέγεθος ὁμοίως καὶ πλῆθος — ταὐτὸν δὲ ἐργαζόμενα οὐχ ὁμοίως ἐργάζεται, ἀλλὰ τὸ μὲν μετὰ συνδέσμων πραγματικὸν πλῆθος ἢ μέγεθος, τὸ δὲ ἄνευ συνδέσμων λεγόμενον ἠθικόν ἐστι*[18]). In exemplis recensendis ea tantum indicabo, in quibus iam primum verbum particulam habet atque ex his ipsis maiora eligam, ut quater »*καὶ*« invenitur in D. XIV, 28, XX, 49 (cf. 119), XXIII, 65, 128, XXVIII, 20, XXX, 39; quinquies IX, 17, XIX, 219, XXI, 208, XXX 18, sexies XXIII, 85; ap. C. particula »et« nusquam nisi fallor ita adhibetur. In D. L, 6 particula »*τὲ*« praeposita» *καὶ*« quater sequitur semelque »*ἔτι δὲ*« eius occupat locum et paulo post in eadem paragr. eand. particulam »*τε*« sexies »*καὶ*« excipit; »*οὔτε*« vel *μήτε*« bis vel ter vel quater saepissime legitur, quinquies autem VIII, 21 sq. XXI, 225, sexies VIII, 23, XVIII, 298, XIX, 126; ap. C. »neque« sexies ponitur in V. 3, 117, octies p. r. s. 7, novies Flacc. fr. Med. Ap. D. XIX, 267 particula »*οὔτε*« tria membra nectit, quorum tertium rursus tripertitum est et hae partes rursus eadem particula iunguntur; simile quiddam est ib. 295, C. Rosc. A. 79 etc. Rarum exemplum est D. I, 12 *τὸ πρῶτον Ἀμφίπολιν λαβών, μετὰ ταῦτα Πύδναν, πάλιν Ποτίδαιαν, Μεθώνην αὖθις, εἶτα Θετταλίας ἐπέβη. μετὰ ταῦτα Φερὰς κτά.* cf. XXIII, 178, LVII, 67, 68. P. etiam aptum est ad tarditatem oratione imitandam, ut D. IV, 36 *ἅμα ἀκηκόαμέν τι καὶ τριηράρχους καθίσταμεν καὶ τούτοις ἀντιδόσεις ποιούμεθα καὶ περὶ χρημάτων πόρου σκοποῦμεν, καὶ μετὰ ταῦτα ἐμβαίνειν τοὺς μετοίκους ἔδοξε καὶ τοὺς χωρὶς οἰκοῦντας, εἶτ' αὐτοὺς πάλιν, εἶτ' ἐν ὅσῳ ταῦτα μέλλεται, προαπόλωλε τὸ ἐφ' ὃ ἂν ἐκπλέωμεν.* Quia cum polysyndeto apte cohaeret, quamquam ordo institutus perturbandus est, liceat hic adiungere

---

[17]) Charis. ib. I, 283, Bed. 611, Rutil. 9. [18]) cf. Demetr. 277, Voss. V, 270, Blass. II, 166 et III_1, 149, Gross. 178.

Asyndeton.

Fit autem, cum demptis coniunctionibus dissolute plura dicuntur ob eamque causam etiam dissolutio vel dissolutum vel *διάλυσις* appellatur[19]). Aristot. Rhet. III, Sp. I, 146 eius vim ita describit: *ἐν ἴσῳ χρόνῳ πολλὰ δοκεῖ εἰρῆσθαι· ὁ γὰρ σύνδεσμος ἓν ποιεῖ τὰ πολλά, ὥστ᾽ ἐὰν ἐξαιρεθῇ, δῆλον ὅτι τοὐναντίον ἔσται τὸ ἓν πολλά. ἔχει οὖν αὔξησιν.* Multum quoque referre puto in a., utrum oratio per membra an caesa devolvatur; nam in comprehensionibus a. fere non locum habet nec si habet magno opere sentitur. Atque caesa plurimum conferunt ad celeritatem, membrorum autem a. plus gravitatis habet. Tiberii (78) sententia D. *τῷ σχήματι κέχρηται ἢ κατ᾽ ὄνομα εἰς πλῆθος, ἢ κατὰ κῶλον εἰς κάλλος, ἢ κατὰ κόμμα εἰς ἐνέργειαν, ἢ κατὰ τόπους εἰς λαμπρότητα.* Quem ad modum autem polys. ad tarditatem depingendam aptum est, ita a. ad celeritatem, ut D. XIX, 76 *πέντε ἡμέραι γεγόνασι, ἐν αἷς οὗτος ἀπήγγειλε τὰ ψευδῆ, ὑμεῖς ἐπιστεύσατε, οἱ Φωκεῖς ἐνέδωκαν ἑαυτούς, ἀπώλοντο·* maxime vero animum ira vel indignatione vel aliis affectibus concitatum decent[20]). Ac sententiarum asyndeta cum in narrationibus tum in argumentationis partibus deprehenduntur. Solum D. in Aphob. II, 20 exscribam: *βοηθήσατε καὶ τοῦ δικαίου καὶ ὑμῶν αὐτῶν ἕνεκα. σώσατε, ἐλεήσατε —. εἰς ὑμᾶς καταπεφεύγαμεν. ἱκετεύω, ἀντιβολῶ πρὸς παίδων, πρὸς γυναικῶν, πρὸς τῶν ὄντων ἀγαθῶν ὑμῖν. οὕτως ὄναισθε τούτων, μὴ περιίδετέ με κτἑ.* Cf. praeterea VIII, 64 sq. IX, 27, 66 sq. XVIII, 117, 198, 215, 295 sq. XIX, 93, 109, 139, 190, XX, 100, XXI, 58, 161, 184 sq. 200, XXII, 68, XXIV, 11—14 etc. C. Quinct. 11—33; 39 sq. 57 sqq. 61; 67; Rosc. A. 6 sqq.; Rosc. C. 26; 32; 43; V. 1, 12; 14; 63 sqq. 91; 104—106; 115; 123; 125 sq. 132 sqq. 2, 25; 35 sqq. 53 sqq. 59 sqq. 69 sqq. 90 sqq. 127 sqq. 135; 162; 187; 3, 31; 55 sqq. 68; 73; 99; 104 sq. 152; atque omnino Verrinae sunt in his uberrimae, quod magna ex parte narrationibus continentur. Praeterea vide Tull. 20; Caecin. 20; Cluent. 58; 77; 176 sq. 180; l. a. II, 20; 34; har. r. 58; Cael. 31; Pis. 96 sq. Ph. VII, 13; XII, 18; XIII, 16; 19; XIV, 23 etc. Verborum porro asyndeta plerumque in enumerationibus adhibentur[21]). Verbum autem hic non litterate acceptum velim, sed omnia huc cadere puto, quae ipsa per se non plenam conficiunt sententiam. In hoc g. pro portione rara sunt

---

19) Vide Cornif. 4, 30, 41, Quintil. 9, 3, 30, Charis. K. I, 283, Diom. ib. 448, Donat. IV, 399, Herod. 99 etc. 20) Auctor libri περὶ ὕψους (Sp. I, 272) rem bene describit similitudine adhibita: ὥσπερ εἴ τις συνδήσειε τῶν θεόντων τὰ σώματα, τὴν φορὰν αὐτῶν ἀφήρηται, οὕτως καὶ τὸ πάθος ὑπὸ τῶν συνδέσμων ἐμποδιζόμενον ἀγανακτεῖ. 21) Cur. Naegelsb., qui § 200 p. 553 hunc locum subtilissime tractavit, a. enumerativum et summativum, quod vocat, non verum a. esse existimet, ego intelligere non possum.

binorum verborum a.; tamen talia inveniuntur ap. Cic. Quinct. 75 *adsunt, defendunt,* 90 *dictis, factis.* Rosc. C. 43 *circumspicit, aestuat,* Caecil. 11 *adsunt, queruntur,* V. I, 43 *contemnimur, despicimur,* 1, 34 *attributa, numerata,* 125 *amici, propinqui,* 130 *sarta tecta,* 2, 58 *inimicus, hostis,* 106 *profer, explica,* 3, 4 *corruptorem, adulterum,* 62 *taceret responderet,* 71 *capere conciliare,* 4, 120 *publicis privatis, sacris profanis,* 77 *ture, odoribus,* Caecin. 74 *aquae ductus, haustus, iter, actus,* 94 *usum fructum,* Sull. 44 *tacuisti passus es,* Mil. 73 *dedit, ademit,* dom. 137 *dirueris, aedificaris,* Ph. II, 71 *tantis talibus,* 78 *isti redisti,* 85 *escendis, accedis,* 94 *aequi boni,* IV, 13 *falsa incerta, caduca mobilia,* V, 36 *conscripserit compararit,* 46 *defendant defenderint,* 53 *darent assignarent,* X, 26 *constituit comparavit, utatur exigat,* XI, 19 *petamus, ambiamus,* 31 *consularibus, praetoriis,* XIII, 19 *dextra sinistra,* XIV, 37 *profligarit ceciderit,* ib. *C. Pansa A. Hirtius* etc. Ex D. huc spectant haec: XIX, 190 *σπονδῶν, ἱερῶν,* XXI, 81 *τῇ δίκῃ, τοῖς νόμοις·* cf. ib. 177, 91 *ἄνω κάτω,* XXII, 68, *μετοίκους Ἀθηναίους — ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἐπὶ τοῦ βήματὸς,* XXIV, 38 *ἠφάνισεν, ἐξήλειψεν,* XVIII, 270 *ἔστω, συγχωρῶ,* XX, 100 *ἐγγυώμεθα, ὑπισχνούμεθα,* XXIII, 20 *ἱκετεύω ἀντιβολῶ* etc. Usurpantur igitur haec, cum res cognatae vel contrariae congregantur, vel cum duo unum aliquid totum significant, vel cum verbum alterum explanationem prioris habet. Terna autem verba tam saepe per asyndeton efferuntur, ut infinitum sit omnia exempla afferre; satis habeo indicasse haec: D. VIII, 36, IV, 36, XVIII, 189, 195. Etiam quaterna et quina et sena verba dissoluta crebriora sunt, quam ut hic enumerentur. Septena inveniuntur ap. C. V. 3, 27; 5, 32; l. a. II, 39; 66; 96; Flacc. 100; Ph. II, 116; XIII, 3; XIV, 37; ap. D. XVIII, 237; octona C. V. 2, 156; l. a. II, 38; Cat. II, 25; dom. 17; Pis. 64; Dei. 26; Rab. P. 16; Ph. XIII, 2; novena V. 5, 127; l. a. II, 66; 71; dom. 1; 13; dena dom. 17; Cael. 35; Marc. 28; undecim Sest. 143; Ph. II, 12; quattuordecim Sest. 98; in har. vero r. 12 undeviginti nomina per asyndeton enumerantur. Et similiter atque in polys. etiam in a. saepe ap. C. plura membra dissolute ponuntur, quorum unum vel plura rursus in particulas dissecantur, ut in Caecin. 33 *qui in pace et in otio, cum manum fecerit, copias pararit, multitudinem hominum coegerit, armarit, instruxerit, homines inermos armis viris terrore periculoque reppulerit, fugarit, averterit, hoc dicat* etc. cf. Cluent. 107; Vat. 8; Cael. 46; Marc. 8; Planc. 30; D. VIII, 76, XVIII, 295. Ex coniunctionibus autem frequentissime copulativae et adversativae supprimuntur, rarius causales ut Quinct. 60, rarissime vero conclusivae ut V. 4, 29. Postremo exemplum addamus, quod simul in polys. et a. cadit C. dom. 5: *hunc tu civem ferro et armis et exercitus terrore et consulum scelere et audacissimorum hominum minis, servorum dilectu, obsessione templorum, occupatione fori, oppressione curiae patria cedere coegisti* (cf. Flacc. fr. M.).

Disiunctio

est, cum eorum, de quibus dicimus, unum quidque certo concluditur verbo[22]. *Ab Aquila* (36) *διεζευγμένον*, ab Alex. 30 *συνωνυμία*, a Tiber. 75 *πλεονασμός*, a Bed. 608, Donat. K. IV, 397, Diom. ib. I, 444, Charis. 280 *ὑπόζευξις* dicitur. Ap. C. V. 3, 103 occurrit: *audietis Agrigentinorum querimonias: cognoscetis Entellinorum dolorem: Heracliensium incommoda proferentur: Catinensium agros vexatos cognoscetis. Tyndaritanam civitatem — Haluntinam — perditas esse intelligetis* etc. cf. Quinct. 47; Rosc. A. 131; Caecil. 11; 39; V. 3, 1; 6; 157; 207; 217; 4, 60; 104; Font. 25; Pomp. 15; Cluent. 118; l. a. I, 26; II, 46; 99; Cat. I, 25; Mur. 79; 80; 86; Flacc. 9; 23; 38; Sull. 46; Arch. 12; p. r. s. 39; dom. 44; Sest. 16; Vat. 39; prov. c. 6; Mil. 20; Dei. 6; 39; Ph. IV, 13; D. XLV, 70. Neque solum verba in hac ratione versantur, sed etiam substantiva et adiectiva; nam substantivi cum genetivo suo eadem est ratio, quae verbi cum subiecto. Ap. C. Rosc. A. 118 legimus: *par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia;* cf. Pomp. 49; l. a. I, 23; Sull. 15; 83; Sest. 25; in V. I, 2 est: *depeculatorem aerarii, vexatorem Asiae, praedonem iuris, labem provinciae;* cf. ib. 5, 152. Disiunctioni contraria est Cornificii 4, 27, 38

Coniunctio

vel adiunctio, a Graecis plerisque *ζεῦγμα* appellatur, a Zon. 168, Alex. 35, item a Bed. 608, Charis. K. I, 280, Diom. ib. 444, Donat. IV, 397, a Phoeb. 46 *ἀπὸ κοινοῦ*. A. Donato definitur zeugma *unius verbi conclusio diversis clausulis apte coniuncta.* Etiam in tropos refertur a Tryph. 202, qui eam *σύλληψιν* appellat, Anon. III, 211, Georg. 248 sq. Vis eius contraria est disiunctioni: ibi copia verborum, hic brevitas iactatur, ut ap. C. Cluent. 15 *vicit pudorum libido, timorem audacia, rationem amentia;* cf. Cat. I, 22; sed quid magis commune? Alia autem forma *ζεύγματος* ea est, qua verbum cum duobus vel pluribus subiectis coniungitur, quod proprie cum uno necti potest[23], ut in Hesiod. Theog. 640 *νέκταρ τ᾽ ἀμβροσίην τε, τάπερ θεοὶ αὐτοὶ ἔδουσι*, et Soph. Oed. r. 371 *τυφλὸς τά τ᾽ ὦτα τόν τε νοῦν τά τ᾽ ὄμματ᾽ εἶ.* Ab oratoribus non raro verbum simul proprie et translate ponitur, ut C. Sull. 33 *erigite mentes auresque*, Arch. 5 *res gestas — aures adhibere*, Cael. 42 *incurrat in domum atque in famam*, Pis. 42

[22]) Cornif. 4, 27, 37; cf. Quintil. 9, 3, 45 et Dzial. 17. [23]) cf. Dzial. 16.

corporis laceratione — famae; cf. V. 5, 92 etc. praeterea vide Rosc. C. 28 *nemo exspectabat, sed* (quisque) *aestimabat.* D. exhibet XVIII, 151 *ἐγκλήματα καὶ πόλεμος ἐταράχθη.*

Synonymia

est plurium vocabulorum ferme idem significantium coacervatio [24]) vel, ut Phoeb. (46) describit, *ταυτολογία λέξεων ἐ. ταὐτὸ σημαινουσῶν παράλληλος θέσις·* cf. Herodiani (102) *ἐκ παραλλήλου* et Bedae 610 schesin onomaton; Aristotelis (Rh. III, Sp. I, 133) sententia *τὰ ἐπίθετα πλείω μάλιστα ἁρμόττει λέγοντι παθητικῶς*, Aristides autem (Sp. II, 485) dicit, *γίνεσθαι περιβολήν, ὅταν τις τοῖς ἰσοδυναμοῦσι χρῆται·* etiam illud monendum esse videtur, hoc dicendi genere eos, qui audiunt, excitari ad rem acrius considerandam. Magnus est hic locus et alterum volumen desiderat; qua re ego, ne longus sim, satis habebo aliqua tantummodo strictim transigere. Ac primum id apparere puto, verba illa similia fere numquam idem plane eodem modo exprimere, sed diversas partes et rationes eiusd. rei continere; sed quid plura? exemplis potius rem illustremus. Ap. C. est: l. a. II, 77 *locus urbs* — brevitatis causa particulas supprimam — Rosc. A. 88 *fori iudiciorum*, Flacc. 1 *urbis imperii*, 13 *causam accusationem*, Cael. 39 *virtutis continentiae*, Balb. 51 *pericula tela*, Pis. 54 *belli rei militaris*, 56 *caput salutem* (cf. Planc. 1), Caecin. 42 *corpus vitam* (cf. Rosc. A. 7), Mil. 58 *sanguine vulneribus*, V. 3, 137 *te innocentiam tuam* (cf. Dem. I, 3). Sed quoniam duorum verborum congregatio locis paene innumerabilibus occurrit, solum duas huius rei formas paulo longius persequar, unam, cum eadem res et propria et tropica dictione effertur, alteram, cum verbo et universo et magis proprio indicatur, quod a grammaticis *ἓν διὰ δυοῖν* dici solet. Atque in illam rationem cadunt haec: C. V. 5, 50 *tecta domus*, 4, 8 *imperio securibus*, Marc. 14 *pacis togae — belli armorum*, Ph. XII, 14 *penates sedes*, Rosc. C. 45 *deliberandum concoquendum* (cf. har. r. 55) — hic translatio illustrior cum ea, quae iam magis obsolevit, conectitur, id quod saepe fit — ib. 48 *ductum conflatum*, Caecil. 48 *serviet, lenocinabitur*, V. I, 40 *uberrimum quaestuosissimum*, 1, 91 *morbo cupiditate*, 2, 17 *rudis tiro*, 4, 33 *damnato mortuo*, Cluent. 60 *principem architectum*, Sest. 5 *initiis fundamentis*, 93 *solidam veram*, Balb. 15 *umbra otio*, Planc. 5 *difficilis lubrica*, Ph. XI, 17 *populare ventosum*, V. 2, 89 *iratus incensus*, Caecil. 44 *petitiones rationes dicendi*, V. 3, 60 *obscuris ignotis — honestis illustribus*, l. a. II, 66 *suspensam incertam*, Cluent. 7 *portum perfugium* etc. D. II, 9 *ἀνεχαίτισε διέλυσε*, 10 *ἀρχὰς ὑπο-*

---

[24]) Kleutg. 65; cf. Quintil. 9, 3, 45, Isid. 518, Aquil. 34, Voss. V, 276, Gerb. II_2, 2 sqq. Dzial. 13, Blass. III_1, 93 sq.

ϑέσεις, XVIII, 138 *ὑποσκελίζειν συκοφαντεῖν*, 283 *ὕπνον λήϑην*, 307 *ἄδικον ὕπουλον*, XIX, 102 *γοητευϑέντα φενακισϑέντα*, 314 *κλύδωνα μανίαν*, XX, 131 *δοῦλοι μαστιγίαι*, 167 *κίβδηλον ἄπιστον*, III, 31 *ἐπάγουσι τιϑασεύουσι·* cf. IX, 28 etc. Etiam plura verba et totas sententias non numquam haec ratio complectitur, ut in Hor. sat. 1, 3, 55 *virtutes ipsas invertimus atque sincerum cupimus vas incrustare;* C. dicit V. 4, 52 *equum Troianum introductum, urbem captam diceret*, Flacc. 41 *aculeo emisso ac dicto testimonio;* cf. Tull. 33 et Ph. XI, 32.

Illa autem altera forma frequentissime invenitur; sed quoniam multis locis alia interpretatione in dubium vocari potest, ea tantum hic ponam exempla, in quibus mihi haec ratio clarius elucere videtur: C. Quinct. 43 rationes controversiae, prov. c. 40 ratio causa (cf. V. 5, 172 etc.), Quinct. 51 vis necessitas (p. r. p. 14 v. ferrum; cf. V. 3, 91; Cluent. 57; Cat. I, 21 Planc. 100), 53 cupiditas avaritia (V. 2, 35 c. insania; cf. Cluent. 15; Rab. p. 24), 72 frequentia consessus (cf. V. 5, 16; Arch. 3), 83 nuntius imperium (cf. Pomp. 61; Rab. p. 23; dom. 21), 91 natura bonitas (Rosc. A. 9 n. pudor, V. 5, 35 n. necessitas, l. a. II, 40 n. situs, 87 n. locus, Arch. 21 n. regio; cf. Ph. XI, 10 etc.), Rosc. A. 8 sententia ius iurandum (cf. Cael. 54; V. 4, 18), 43 relegatio supplicium, 66 iussa oracula, 84 spes emolumentum, 109 scelus perfidia (V. 1, 78 s. libido; cf. 5, 11; 24; Vat. 24), 123 ingenium coniectura, 129 sensus dolor (har. r. 39 vulnus d., Caecil. 64 d. iniuria; cf. V. 1, 112; 5, 139; 169; Cluent. 10), 136 honor gradus (prov. c. 27 h. novitas), Rosc. C. 56 consilium auctoritas (cf. V. 3, 41; 62; Caecin. 65 etc.), Caecil. 33 animus impetus (V. 5, 185 latrocinium i.), 39 vox vires, 46 gestus motus, V. I, 11 necessitudo religio (4, 67 voluntas r. 5, 185 opinio r. Caecin. 4 mora r. Cluent. 43 institutum r. cf. V. 1, 137 et 2, 115), 1, 70 flamma periculum (Ph. XIV, 37 dimicatio p. cf. V. 3, 207), 103 brevitas tempus, 158 clamor convicium (Pis. 31 vox clamor; cf. V. 5, 106), 2, 73 crimen invidia, 3, 10 iucunditas varietas, 22 turpitudo similitudo, 69 condicio pactio, 74 legatio testimonium, 76 opera impudentia, 129 mors suspendium, 133 verbum simulatio, 140 iudicium discrimen, 147 edictum licentia, 155 lucrum furtum, 4, 72 opus artificium, 118 munitio moles, 129 os angustiae (cf. l. a. II, 87), 5, 36 memoria posteritas (Planc. 93 m. gratia, Ph. XIII, 47 pietas m.), 85 amor furor, 107 ferrum vinculum, 134 mors cruciatus, 145 onus merx, 147 vox imploratio (Sest. 60 v. dolor, Cael. 6 v. maledictum; cf. Pis. 7 et Mil. 94), Caecin 35 iudicium poena (cf. Pis. 14), 57 vis deiectio, Pomp. 35 legatus deprecator, Cluent. 12 odium crudelitas, scelus immanitas (cf. V. 4, 68), 68 praeda suppressio, 80 iudicium potestas, 129 disciplina severitas, l. a. II, 7 vis interpretatio, 22 animus magnificentia, Rab. p. 16 eventus perpessio, 36 cicatrix nota virtutis, Cat. I, 20 fuga solitudo, 31 aestus febris, II, 22 complexus sinus, IV, 17 cubile lectulum, Mur. 1 voluntas suffragium,

70 opera adsectatio, Sull. 83 casus felicitas (cf. Sest. 145), p. r. p. 8 desiderium lacrimae (cf. Sest. 120), Sest. 20 libido levitas, 60 verba interfatio, 120 ludus scaena, Vat. 24 lingua vox, prov. c. 12 tristitia vultus, 25 nota ignominia, Pis. 46 sanitas mens, 65 verbum ineptiae, 81 species pulchritudo, Planc. 89 contentio arma (cf. Pis. 81), Mil. 83 vicissitudo ordo, Dei. 22 excursio latrocinium, Rab. P. 4 vita consuetudo etc. D. exhibet XIX, 26 *ἐλπίσιν φεναχισμοῖς* (cf. ib. 322), XXI, 13 *λόγος λοιδορία* (XXX, 26 *λ. παραγωγή*, cf. XXII, 23), XXIII, 10 *ὅρκος συνθήκη*, 4, 35 *μανία πολυτέλεια* etc. Neque tamen solum substantiva in tali ratione versantur, sed etiam adiectiva et verba, ut C. V. 2, 166 acer inimicus, ib. 172 memor gratus, 158 recens revulsus (cf. ib. 105), l. a. III, 15 venalis proscriptus, Flacc. 42 ineptus loquax; Rosc. A. 109 *violarit imminuerit*, Quinct. 51 *illusi destituti*, 76 *perseverare transigere*, V. 3, 74 *testari dicere*, 167 *admiratur exspectat*, 4, 98 *intelligis iudicas*, Font. 38 *dicta obiecta*, Cluent. 7 *explicare consequi*, har. r. 39 *cruciari consumi*, Sest. 97 *circumscribi definiri*, 23 *vaticinari insanire*, Balb. 53 *incisum perscriptum* etc. D. XVIII, 323 *φαιδρὸς γεγηθώς*, XV, 16 *πειραθέντες διδαχθέντες*, XVIII, 13 *ἐτραγῴδει διεξῄει*, 45 *προὔλεγον διεμαρτυρόμην*, 21 *ἀκριβολογοῦμαι διεξέρχομαι* etc.

Etiam bina paria verborum saepe coniunguntur, ut D. IX, 73 *συγκαλεῖν συνάγειν, διδάσκειν νουθετεῖν*· cf. C. Cael. 66 etc. Praeterea addendum est, Ciceronis et Romanorum esse proprium, cum appositionibus, quae hominum nominibus adiungi solent, frequenter bina adiectiva honorifica conectere, Demosthenis autem verba percipiendi, cognoscendi, deliberandi, cogitandi, dicendi, fallendi, decipiendi duplicare. Terna porro verba eiusd. significationis conferuntur ap. D. I, 4, II, 10, 18, 23, 30, III, 35, IV, 36, VIII, 9, 68, IX, 40, XVIII, 23, 235, 295, 298, XIX, 45, 26, 109, 195, 97, 182, 259, XX, 164, XXI, 114, 200, 204, 215, 221, XXXVII, 14, XXVII, 68, LVII, 1, XXX, 32, XXXVI, 47, 52, 57, XLV, 1, 85, LIV, 22; ap. C. Quinct. 30; 74; Rosc. A. 62; 110; 143; 144; Rosc. C. 11; Caecil. 39; 45; 71; 72; V. I, 32; 36; 40; 1, 31; 38; 40; 47; 75; 76; 85; 2, 57; 78; 104; 108; 110; 114; 135; 187; 192; 3, 56; 64; 75; 122; 135; 155; 157; 180; 207 bis; 4, 23; 50; 81; 84; 89; 99 bis; 146; 5, 188; Caecin. 50 ter; 76; 93; Cluent. 82; 104; 107; 133; 194; 199; l. a. I, 3; 23 bis; II, 19; 59; 74; 77 bis; 84; 102; Rab. p. 18; 30; 33; Cat. I, 8 bis; 10; II, 19; 29; III, 3; IV, 14; 20; Mur. 1; 10; 45; 66; 83; Flacc. 11; 56; 96; Sull. 34; 53; p. r. p. 9; 19; dom. 4; 17; 59; 94; 102; 125; har. r. 6; 8; 12; Sest. 47; 61; 81; 135; 137; 138; 144; 145; Vat. 17; Cael. 12; 25; 26; 33 bis; 45; 47; 57; 67; 80; prov. c. 23; 25; 33 bis. Balb. 43; 13; 15; 3; Pis. 1; 10; 45; 46; 62; 89; 99 bis; Planc. 9; 15; 33; 40; 93; Mil. 10 bis; 67; 90; 89; 92 bis 101; Marc. 34 bis; Ph. I, 24; 16; II, 11; 24; 79; III, 18; IV, 5; 12; 15; V, 29; 50; 51; VI, 5; VII, 5;

9; 14; 20; 21; VIII, 16; 17; IX, 6; X, 6; XI, 22; 29; XII, 1; 9; XIII, 15; 33; XIV, 12; 14; 27; 38. Quaterna verba congregantur in V. I, 51; 1, 4; 3, 6; 73; 4, 14; 23; 67; Cluent. 146; 188; l. a. II, 43; Cat. I, 32; II, 1; III, 16; Mur. 1; Flacc. 13; p. r. s. 3; 30; har. r. 25; Sest. 1; Cael. 66; Balb. 18; Pis. 62; Dei. 16; Ph. III, 12; IV, 13; VII, 14; 20; 26; D. XVIII, 12, 14, XXXVI, 47, XXXIX, 34. Ap. C. etiam quina verba hac ratione consociantur Rosc. A. 117; V. 3, 7; 147; 5, 25; har. r. 3; Planc. 48; sex verba coacervantur in Ph. III, 35 *libidinosis*, *petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus ebriis;* septem vero ib. V, 24 *impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, poscentem, rapientem, ebrium.*

Crebra est ap. D. ea synonymiae forma, qua eadem res simul per affirmationem et negationem effertur, ut VI, 31 *ἐρῶ καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι·* cf. VIII, 73, XIX, 3, XXIV, 104, 200, etc. Etiam illud saepe fit, ut eadem res pluribus sententiis exprimatur, ut in Cat. I, 1 *quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet?* etc. Lig. 9 *quid tuus ille destrictus gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* A Cornif. 4, 42, 54 et Kleutg. 66 talis dicendi forma expolitio appellatur, a Theone Sp. II, 64 *ἐξεργασία·* cf. Cic. or. 137. Praeter ea, quae supra exscripsi, evolvi possunt. Quinct. 47; Rosc. A. 145; Cat. II, 1; dom. 97 sq. Mil. 33; Ph. II, 68 etc. Postremo monendum est, Ciceronem non modo in hoc g. multo esse uberiorem Demosthene, id quod ex locis supra indicatis apparere puto, sed etiam in prioribus suis oratt. non raro ultra modum processisse, id quod Hellmuthius [25]) subtiliter demonstravit.

Omnes, quas adhuc tractavi, verborum figg. praeter asyndeton et zeugma in adiectionis vel pleonasmi ratione versantur. Ipse quoque pleonasmus a quibusdam ut ab Aquil. 36 in figg. recipitur. *Eius usus in eo est, ut verba quaedam adiciamus, non tam enuntiandae rei necessaria, quam ut ex his magnitudo vel dignitas vel moralis aliqua commentatio aut denique species motura iudicem circumponatur.* A Tryph. 198, Greg. 220 sq., Coc. 242, Georg. 252 etiam in tropis numeratur. Sed omnia, quae vulgo ad hanc rem afferuntur, magis in grammaticam quam in rhetoricam rationem cadunt, ut C. dom. 86 *rursus restituti*, Rosc. A. 55 *verum tamen — tamen*, Quinct. 51 *coacti, inviti*, Caecil. 57 *repente e vestigio*, V. 4, 84 *statim continuo*, Planc. 65 *casu forte* [26]), Rosc. A. 41 *rursus revertamur* (D. IX, 48 *ἀναχωρεῖν πάλιν*), Caecil. 21 *potius malunt*, Pis. 15 *potius praestaret*, l. a. II, 35 *datur, ut liceat*, D. XVIII, 266 *νυνὶ τήμερον*, 281 ὁ

---

[25]) in libro, qui est *De sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur* (Erlangae 1877) praef. p. 3 sq. et 63 sq. [26]) cf. Hellm. p. 64 sqq.

γὰρ — οὗτος. Rhetoricum pleonasmum, si quidem pleonasmus habendus est, Gerber I, 473 sq. dativum ethicum, qui dicitur, esse arbitratur, cuius exemplum invenies ap. C. V. 3, 193: *Tu angulum mihi aliquem eligas provinciae reconditum* etc. cf. Rosc. A. 133; V. 2, 26; 79; 105; 3, 48; 117; 180; 209; 4, 85; 5, 57; Cluent. 97; Cat. II, 4; Mur. 13; 21; 74; Sest. 127; Pis. 2; 48; Ph. I, 25; VIII, 11; D. XIX, 296, XLV, 84. Sed haec ne diutius curemus ac potius strictim de ea detractionis forma agamus, quae una restat et a Graecis fere

Ellipsis

appellatur; quae quamquam et ipsa fig. grammatica est, tamen interdum etiam rhetoricam prae se fert vim et gravitatem. Atque ex ea tantum parte hic recipienda est, reliqua eius ratio, quae late sane patet, grammaticae relinquamus. Definitur autem a Phoeb. 46 *παράλειψις λέξεως νοουμένης ἐκ τῆς συμφράσεως.* A. Tryph. 198 aliisque ad tropos revocatur. Huius rei ratio difficillima mihi esse videtur maxime ob eam causam, quod statui non potest, unde quaeque ellipsis nata sit; ut Seuffertus, qui in palaestra sua Ciceroniana p. 17 ellipsin verbi substantivi accuratius persequitur, hoc verbum primum saepe numeri causa omitti scribit, deinde brevitatis, quod maxime cadat in proverbia atque eius g. locutiones, tum in ratione praecipiendi, in narrationibus et descriptionibus. Talia autem praecepta etsi eis quidem apta videntur, qui exempla illic proposita intuentes ipsi in scriptionibus suis tractaturi sunt, tamen ei non sufficiunt, qui omnia, quae occurrunt, exempla ad illa quasi normam et regulam referre volet. Magna autem pars earum locutionum non est dubium quin ex sermone vulgari nata sit. Sed in rhetoricam rationem maxime ea cadere huius rei exempla puto, quae cum impetu quodam animi in magna contentione dicuntur, exclamationes inprimis et ea, quae Graeci *ἐπιφωνήματα* vocant vel etiam *ἐπικρίσεις* [27]), ut ap. C. Sest. 135 *praeclara aedilitas!* Mur. 74 *horribilis oratio!* sed. quid ap. C. magis vulgare? Nec minus nota sunt talia: Ph. II, 76, *qui vero reditus!* ib. 73 *qui risus hominum!* ib. 88 *quae tua fuga!* Atque omnino in hoc g. Philippicae Ciceronis orr. praeter ceteras excellunt, propterea quod et commoto fere animo dicit et multa ex sermone vulgi deprompsisse in his quidem oratt. videtur. Rariora mihi ea esse videntur exempla, in quibus non praesens tempus vel indicativus verbi substantivi omittitur, sed aut praeteritum aut coniunctivus, ut in Ph. I, 2 *praeclara tum oratio Antonii,* Planc. 61 *quaeris, quid simile in Plancio* etc. Neque vero solum verbum substantivum omittitur, sed saepe etiam verba dicendi et faciendi et alia, ut in V. 2, 79 *quem mihi tu Bulbum?*

---

27) vide Hermog. Sp. II, 10, 14, ib. p. 252 sqq. Demetr. 285 sq.

Mil. 36 *nihil per vim umquam Clodius, omnia per vim Milo,* Ph. VI, 3 *ad quem enim legatos?* Ph. II, 74 *tam bonus gladiator rudem tam cito?* ib. 101 *medico tria milia iugerum;* Dei. 25 *graves de te rumores,* Ph. XIV, 13 *tu igitur ipse de te?* Etiam totae sententiae cogitatione supplendae sunt non numquam ut D. XVIII, 10. Verbum substantivum ap. D. etiam saepius omittitur quam ap. C., ap. hunc autem frequentius alia verba. Leviter tantum hanc rem perstrinxi et quia latissime patet et quia ratio eius parum definita et circumscripta esse videtur.

Sed adiectionis et detractionis formae postquam absolutae sunt, iam pergendum est ad illud figg. genus, quod in soni quadam venustate et in orationis quadrandae studio versatur [28]). Atque a nonnullis [29]) artium scriptoribus etiam illa verborum conformatio et collocatio, qua fit, ut oratio numero adstricta per ambitus sive *περιόδους* et membra sive *κῶλα* et caesa sive *κόμματα* decurrat, huc trahitur. Quod si recipimus, iam omnes Demosthenis et C. orationes perpetuae quaedam figg. sunt; neque enim *εἰρομένη*, quam vocant, *λέξις* in eis ita crebro offenditur. Principem autem locum in re explicanda ei formae concedere velim, quae

Hyperbaton

a Quintil. 8, 6, 62 in tropis appellatur et sic describitur: *Fit frequentissime aspera et dura et dissoluta et hians oratio, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur — differenda igitur quaedam et praesumenda, atque ut in structuris lapidum impolitorum, loco quo convenit quodque ponendum. Non enim recidere ea nec polire possumus, quo coagmentata se magis iungant, sed utendum iis, qualia sunt, eligendaeque sedes. Nec aliud potest sermonem facere numerosum quam oportuna ordinis permutatio —. id cum in duobus verbis fit, anastrophe dicitur, reversio quaedam, qualia sunt vulgo »mecum, secum«, apud oratores »quibus de rebus«. at cum decoris gratia traicitur longius verbum, proprie hyperbati tenet nomen: »animadverti, omnem orationem in duas divisam esse partes«* (Cluent. 1) etc. Etiam alii [30]) hanc verborum transgressionem sine causa tropis adiunxerunt. De partium huius fig. distributione, de qua multa et varia ab antiquis technographis [31]) repeti poterant, ne diutius his nugis et ineptiis morer, solum Donatum K. IV, 401 sequamur, qui quinque distinguit species, hysterologiam, anastrophen, parenthesin, tmesin, synchysin. Atque ex

[28]) Eas figg. *in quibus lusus ingenii luxuriantis cernitur, ad elegantiam et concinnitatem affectatam comparatas* Dion. Hal. in ep. ad Amm. II, 2, p. 792 θεατρικὰ σχήματα dicit, quod refert Ernesti 154. [29]) Cornif. 4, 19, 26, Aquil. 27, Mart. 479, carm. de figg. 63. [30]) Tryph. 197, Greg. 218, Coc. 238, Georg. 248. [31]) a Cornif. 4, 32, 44, Bed. 614, Tiber. 74 etc. cf. Hermog. 279, Dzial. 27, Gross. 183.

his rursus synchysin, quia et res satis infinita est neque quidquam utilitatis praebet, eiiciamus, reliquas autem partes, quatenus quidem in orationes cadunt, leviter attingamus.

Atque tmesis a Donato definitur *unius compositi aut simplicis verbi sectio, una dictione vel pluribus interiectis.* Ap. C. talia occurrunt in Cluent. 2 *per mihi brevis*, Sest. 68 *quod iudicium cumque* (cf. de or. 3, 60; 1, 214), dom. 141 *res vero p.* (saepius), V. 5, 173 *reique p.*, Ph. II, 23 *postea vero quam*, et si quid forte alibi unum alterumve huius g. exemplum reperitur. Non multum ab his differre videntur plurima anastrophes exempla; neque enim illa Quintiliani »mecum, tecum«, similia iam sunt numeranda, neque talia non sunt frequentissima C. V. 3, 6 *fidem sanctissimam in vita qui putat* etc. Caecil. 16 *quemvis ut — me ut* etc. V. 1, 22 *vos si non potueritis* etc. In Caecin. 55 legitur *quo de agitur*, V. 1, 24 *quem contra*, id. ib. 5, 153; Ph. II, 18; Mur. 9; V. 4, 107 *quam circa*, Pis. 15 *quem propter*, V. 3, 50 *quos inter*, l. a. II, 81 *quem per*, Arch. 6 *eius Pio filio*; D. XXIII, 136 *ὧν ἄνευ.* Talia rhetoricam rationem non attingunt, nisi quod ad numerum oratorium perpoliendum assumuntur.

Hysterologia autem sive hysteroproteron vel Diomedis (K. I, 461) *sensuum ordo praeposterus*[32]) paene totus est poetarum. Hic id, quod aut maioris est momenti aut vehementius oculos movet, quamquam temporis ordine servato subsequi debebat, praecedit, ut H. *Α*, 251 *τράφεν ἠδ' ἐγένοντο·* cf. ib. *δ*, 476 et *ε*, 229; Hor. sat 2, 3, 294 *necabit febrimque reducet;* Verg. Aen. 2, 353 *moriamur et media in arma ruamus;* cf. Eur. Heracl. 826. C. talia exhibet V. 1, 1 *statuerat et deliberaverat*, 4, 30 *reperire et perscrutari*, 40 *castra commoverat et vasa collegerat*, 5, 134 *mortis et cruciatus, vulneris atque plagae*, 186 *instructa atque comparata*, Cat. IV, 21 *in Africam redire atque Italia decedere*, Sull. 47 *luctari et congredi* etc. D. XXIX, 41 *ἔχειν καὶ λαβεῖν.*

Parenthesis vero et in Ciceronis et in D. oratt. magnum occupat spatium atque hic in ea mihi divine versatus esse videtur. Etiam hic rursus duae species distinguendae sunt, una, cum duo verba lege grammatica coniuncta alienis verbis interpositis distrahuntur, altera, cum sententia, quae enuntiari coepta est, priusquam ad finem perveniat, alia sententia interrumpitur, quae cum illa nulla constructionis lege cohaeret, ut C. Ph. XIV, 32 *brevis a natura nobis vita data est*, Caecil. 65 *propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias;* sed quid magis usitatum est? Frequentissime sic pronomina personalia inter substantivum eiusque adiectivum interponuntur. Nec D. in his minus frequens invenitur; exemplo sit XX, 141 *μεγίστας δίδωσι ἐκ παντὸς*

[32]) cf. Ernesti 371, Gross. 210, Gerb. I, 594.

τοῦ χρόνου δωρεάς. Causae talis verborum collocationis maxime duae esse videntur, una, quod his interpositionibus eis, quae disiunguntur, maius accedit pondus et gravitas, altera, quod numerus perficitur. Altera porro parenthesi C. saepissime in Philippicis usus est, quia ibi oratio eius maxime concitata esse videtur, qui omnino usus est longe frequentissimus. Usurpatur autem haec forma dicendi plerumque, ut una aliqua pars vel verbum sententiae principalis magis explanetur, cum aut alicuius rei ratio redditur, aut verbi aut nominis vis explicatur vel usus probatur, aut excusatio interponitur, aut res, de qua agitur, in eorum, qui audiunt, memoriam revocatur, aut id mitigatur, quod ne aspere animis auribusque audientium accidat orator veretur, aut postulatur, ut attente audiant, aut id agitur, ut orator nihil meditatum attulisse videatur etc. In hoc g. non dubium mihi quidem est, quin C. a D. non modo arte rei tractandae sed etiam frequentia figurae adhibendae superatus sit. Atque rei illustrandae causa ex amplissima copia affero haec: D. de cor. 10 *οὐ γὰρ ἄλλοϑί που βεβίωκα*, quocum confer C. Caecin. 98 *ut ex me ea, quae tibi in mentem non veniunt, audias* (cf. Balb. 29), leg. fals. 261 *μόνοι γὰρ πάντων αὐτόχϑονες ὑμεῖς ἐστε κἀκεῖνοι*, XXIII, 85 *ϑήσω γὰρ οὕτω*, XL, 58 *ἀρτίως γὰρ καὶ τούτου ἀνεμνήσϑην*, LVI, 20 *τὸ γὰρ ὂν καὶ ἀληϑὲς οὕτω ὑπάρχει*, VIII, 18 *καὶ γὰρ ταῦτα λογίζεσϑε*, XVIII, 197 *καὶ οὔπω περὶ τῶν ἄλλων διαλέγομαι*, XIX, 158 *εἴ τις ὑμῶν εἰς Φερὰς ἀφῖκται, οἶδεν ἃ λέγω*, XXII, 15 *τῶν γὰρ ἀρχαίων ἕν, ὃ πάντες ἐμοῦ μᾶλλον ἐπίστασϑε, ὑπομνήσω*, XIX, 19 *καὶ πρὸς Διὸς καὶ ϑεῶν πειρᾶσϑε συνδιαμνημονεύειν ἂν ἀληϑῆ λέγω*, XXI, 198 *εἰρήσεται γάρ, εἴτ' ἄμεινον εἴτε μή*, V, 15 *καί μοι μὴ ϑορυβήσῃ μηδεὶς πρὶν ἀκοῦσαι·* C. Cluent. 183 *mihi enim venit in mentem, quid dici possit*, Arch. 18 *utar enim vestra benignitate*, Planc. 35 *agnosco enim ex me*, Ph. XIV, 17 *male enim mecum ageretur, si* etc. Rosc. A. 46 *nam ut opinor hoc nomine est*, Pis. 47 *nam id est caput*, Caecin. 89 *redeo ad illa principia defensionis meae*, prov. c. 18 *patrem dico*, *cuius utinam filii ne degenerassent a gravitate patria*, Lig. 15 *intelligo quid loquar*, Ph. V, 5 *quamquam suspicor*, *quid dicturi sint.* Neque tamen solum ea huc trahenda sunt, in quibus ut in his parenthesis externa aliqua nota indicatur, sed etiam magnus sententiarum relativarum numerus eodem revocandus est, ut D. VI, 9 *ὅπερ συνέβη*, II, 5 *ὅπερ καὶ ἀληϑὲς ὑπάρχει·* cf. XVIII, 26, XXI, 150, VIII, 75, XLV, 54, XIX, 13, XX, 21 etc. etiam Ciceronis omnes sententiae huc cadunt, quae a verbis »id quod« incipiunt, nec minus haec Demosthenica, XVIII, 63 *δεινὸν γὰρ ὡς ἀληϑῶς*, 147 *ϑεάσασϑ' ὡς εὖ.* In D. autem XXXIII, 37 *τὸ ῥᾷστον τοῖς ἀδικεῖν προῃρημένοις* parenthesis appositionis loco ponitur. Postremo Rutilii (10) de hac re verba adiungam: *hoc schema — periculose ponitur: nam aut mire ineptum aut vehementer iucundum auribus accidere consuevit.* Quare discipuli ad hoc genus non tam incitandi erunt quam ab eo avocandi et deterrendi.

Polyptoton

porro ex eo nominatum est, *quod, cum saepius initium ab eadem parte orationis fiat, illa ipsa pars declinationibus casuum aut generibus aut numeris immutatur* [33]). Atque una ex parte, quia idem verbum repetitur, haec fig. similis est anaphorae. Etiam hic ut saepissime in figg. quaeritur, unde rationem maioris ornatus incipere putemus. Nam duorum quidem membrorum polyptoton tam frequens est, ut ob hoc ipsum satius esse videatur id negligere. Neque tamen raro ter casus vel numerus vel genus variantur. Primum igitur generis et numeri varietatem leviter perstringamus. Ap. C. V. 5, 79 legitur: *est certus locus, certa lex, certum tribunal;* cf. Rosc. A. 134; V. 3, 1; Ph. X, 11; Cat. II, 19; IV, 14; Mur. 44; 82; Sull. 76; dom. 27; har. r. 41; Cael. 44; Pis. 41; Dei. 12; 30; Mil. 61; 74; 80; 45. Singularis huius rei forma est ib. 31 *factas — factum — factae.* Casus autem mutantur Quinct. 75: *vadimonium mihi deseruit; me fraudavit; a me diem petivit; ego experiri non potui;* cf. ib. 64; 84; Ph. XIII, 16; II, 100; V, 15; 49; Cael. 41, 54; Pomp. 32; 43; Pis. 75; Lig. 9; 33; Mil. 37; 104; Caecil. 18; Caecin. 71; Cluent. 191; 199; Sest. 105; V. I, 51; 3, 137; 5, 68; 151; l. a. I, 16; II, 60; 100; Cat. II, 8; 27; dom. 127; Balb. 58; Flacc. 96; Sull. 12; Dei. 5. D. huius g. pauca exhibet exempla: XIX, 298 *οὗτοι — τούτοις — ὑπὸ τούτων·* cf. XVIII, 61. Saepe p. cum anaphora coniungitur, ut Pis. 34 *me senatus revocavit. Me exteris nationibus servatorem rei p. commendavit. Ad meam unius hominis salutem auxilium omnium civium implorandum putavit. Mei capitis conservandi causa Italia tota convenit. De mea salute celeberrimae contiones fuerunt. De me senatus decrevit. — De me legem tulit Lentulus;* cf. V. 5, 136; 4, 69; dom. 40; 55. Neque illa *μεταβολή*, quae ab Alex. 35, Tiber. 76, Zon. 168, cod. Eckst. 76 commemoratur, mihi aliud quidquam esse videtur [34]). Tib. l. c. adhibet D. 310 sq. *τίς συμμαχία σοῦ πράξαντος γέγονε τῇ πόλει; τίς δὲ βοήθεια —; τίς δὲ πρεσβεία —; τί τῶν οἰκείων — ἐπανώρθωται; ποῖαι τριήρεις; ποῖα βέλη; ποῖοι νεώσοικοι; τίς ἐπισκευὴ τειχῶν κτἀ.* Nam etiam talia huc relata velim: C. V. 2, 188, *quis esset, ubi esset, unde esset;* 5, 75 *quem ad finem? — quam ob causam? quo exemplo? cur tam diu?* cf. ib. 1, 84; 3, 133; 5, 5; 34; 174; Rosc. A. 79; 145; Cluent. 109; 124; l. a. II, 34; Cat. I, 1; dom. 29; 128; Flacc. 13. Et quem ad modum, ut supra dixi, anaphora sic etiam haec fig. a C. non raro duplicatur, velut Quinct. 50 *cuius bona possidentur, huius fama possidetur; de quo libelli in celeberrimis*

---

[33]) Aquil. 33; cf. Herod. 97, Zon. 168, Rutil. 7, Bed 610, Alex. 34, Quintil. 9, 3, 36, Cic. de or. 3, 207, auct. libr. π. ὑ. Sp. I, 274, Hermog. 338, Dzial. 11. [34]) cf. Dzial. 12 et Gerb. II_2, 8.

locis proponuntur, huic ne perire quidem tacite conceditur; cui magistri fiunt —: huic vivo videntique funus ducitur. Cf. Rosc. C. 45; Rosc. A. 110; V. 3, 82; Mur. 22. Neque tamen solum in principiis complurium sententiarum haec ratio invenitur, sed etiam intra unius sententiae spatium non numquam consistit, ut ap. Aesch. Pers. 1041 *δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς*, Soph. Ai. 866 *πόνος πόνῳ πόνον φέρει*, C. Sest. 144 *hunc hoc anno in hac toga*, V, 3, 142 *sua — suae — suam*, 5, 94 *duo — duorum — duabus*; cf. Pis. 52; Font. 16; Cluent. 96; et D. XVIII, 188 *αὕτη — πρὸ τούτων — ὑπὸ τούτων·* Nam duorum verborum eius m. consociatio ut V. 1, 154 *praedo praedonum*, 3, 78 *Siculi Siculos* etc. tam est frequens, ut ob hoc ipsum sit relinquenda. Neque me praeteriit, a quibusdam ut a Landgrafio in actis Semin. Philol. Erlang. (vol. II. 1881) hunc usum figurae etymologicae, quae mox tractabitur, subiungi; verum cum haec eiusd stirpis vocabula non semper altera ex altera pendeant, sed plerumque ambo verbo sive praedicato subiiciantur, ego ea huc conieci. Venio nunc ad eas soni festivitates, quae

Alliteratio

a recentioribus dici solent. Hoc vocabulum primum legitur ap. I. I. Pontanum, rerum scriptorem Italicum. Ap. Charis. K. I, 282 *paromoeon est, cum verba omnia similiter incipiunt* [35]. Optime hanc rem Woelflinius in libello »Die alliterierenden Verbindungen der lateinischen Sprache« tractavisse mihi videtur, neque I. Theobaldius dissertatione sua (Bonnae 1852) et Ebrardius scriptione scholastica (Bayreuth 1882) ad hanc rem explanandam non multum contulerunt. Vis autem alliterationis duplex esse videtur; una eo valet, ut oratio his deliciis commendata aures suaviter permulceat atque in animos dulcedine quadam irrepat; altera eius vis hoc spectat, ut verbis irrisio quaedam et ludificatio aspergatur [36]. Primum igitur ea exempla enumerabo, in quibus alliterationis verba simpliciter copulantur, tum ea adiungam, quae lege aliqua grammatica alterum ex altero pendent; sequar autem in afferendis vocabulis ordinem litterarum. Reperiuntur igitur in Sull. 52 **acer acerbus** [37], Planc. 66 **acer acutus**, V. 4, 70 **actor accusator**, Sest. 116 **actor acroama**, Cael. 19 **acute argute**, Caecin. 39 **adspicere adspirare**, Quinct. 10 **adfectus adflictus**, V. I, 36 **adsiduus acerbus adversarius**, Ph. II, 41 **albus ater**, 3, 148 **amici advocati**, 2, 117 **amicus amator**, V. 2, 73 **animus amor**, Marc. 24 *animorum ardore et armorum*, V. 2, 136 antiquus amicus, 3, 119 aratio ager, 4, 46 artificium argentum, Sest. 61 **auctor actor**, Sull. 34 **auctor adiutor**, l. a. II, 59

---

[35]) cf. Mart. H. 474 homoeprophoron, Donat. K. IV. 398, Bed. 610, Gerb. II_1, 163. [36]) vide Ebrard. p. 3 et Rhedantz. ad Dem. I, 1. [37]) crassioribus typis in hac collectione ea indicantur, quae iam a W. Th. E. aliis notata sunt.

augere addere accumulare, Ph. I, 27 **avus avunculus**, Dei. 37 **bene beate**, Rab. P. 5 **blandus benignus**, Sull. 19 caedes, civium cruor, cinis, Sest. 88 **caedes incendium** (saepe), V. 3, 47 **campus collis**, Pis. 22 **cantus cymbala**, Sest. 90 **caput cervices**, V. 5, 130 **carcer catenae**, Rosc. C. 47 castus constans, Sest. 93 castus cupidus, Rosc. A. 129 casus causa, (cf. Rosc. C. 14; dom. 32; Mil. 23; V. 1, 83), Pis. 70 **cena convivium**, V. 5, 173 **cera caenum**, Rosc. C. 37 **certus clarus**, Sest. 85 clamor concursus (cf. V. 5, 28), V. 5, 108 **collum cervices**, Mur. 66 **commodus communis**, p. r. s. 13 **coma**, **capillo**, V. 3, 21 compositus comparatus, 2, 142 **conciliare capere**, I, 5 consilium conatus, Cluent. 56 consilium conscientia, Planc. 2 conspectus consensus (cf. Mur. 89), Caecil. 37 **contentio certamen**, Font. 15 credere consulere, V. 1, 9 **cruciatus crux**, V. 3, 106 culpa crimen, Quinct. 59 cupiditas crudelitas, V. 5, 36 *cum cura et caerimonia Cereri* (cf. Ph. VII, 20; II, 116), V. 1, 33 **damna dedecora** (cf. Rosc. C. 24; V. 3, 108), 4, 67 **dare donare dicare** (cf. 5, 187), dom. 147 **dedecus dolor**, V. 2, 123 delectus discrimen, har. r. 6 despondere destinare, Ph. XII, 29 **dignitas decus**, V. I, 33 dicere diluere, Cael. 9 diligentia disciplina, Ph. XIII, 26, diruptus dirutus, Planc. 56 disseminare dispergere, Sest. 120 **dolor desiderium**, Pomp. 16 **exercere exigere**, Mil. 96 facinus factum (cf. Cat. I, 13), Balb. 17 facultas fides, Rab. P. 40 fallax fucosus (cf. Ph. XII, 7; Lig. 30), ib. 25 **fama fortuna** (saepe), Mur. 1 **fauste feliciter**, dom. 102 **fax furia**, Pis. 40 **ferrum fames frigus** (cf. Sest. 88, Pis. 16), Cat. III, 1 *e **flamma** atque **ferro** ac faucibus fati*, V. 2, 6 fidelis fructuosus (cf. Cael. 14), Sest. 113 fides fortitudo (cf. Cat. II, 25), Ph. VI, 2 **fidus fortis**, Sull. 79 **flectere fingere** (cf. ib. 18), Ph. III, 12 **foedus flagitiosus**, XIII, 42 foedus fides (cf. Balb. 25), Rab. P. 44 fortiter facile (cf. Ph. XIV, 37; Cat. III, 14), Mur. 34 fortuna fuga, Mil. 42 **fragilis flexibilis**, Rosc. C. 17 **fraudare fallere** (cf. ib. 20 et 26), Cat. II, 9 **frigus fames**, V. 5, 137 **fruges frumentum**, dom. 17 **fuga formido** (cf. V. 2, 18), Pis. 46 **furia flamma fax**, Caecin. 19 fundus fructus, V. 1, 21 **furtum flagitium** (saepe), Ph. X, 1 **gaudium gratulatio** (cf. Flacc. 12), Sest. 107 **gravis gratus**, Ph. II, 49 **gloria gratia**, Planc. 17 incurrere incidere, Mur. 51 indicare induere, Planc. 59 **labor laus**, V. 4, 76 **lacrimae lamentatio** (cf. 5, 138), ib. 107 **lacus lucus**, Pis. 89 **lamenta luctus**, Flacc. 14 **largus liberalis**, Balb. 13 **late longeque** (cf. Pomp. 35), Ph. XIV, 34 laudare lugere (cf. Font. 35), Flacc. 61 legatus laudator (cf. Dei. 11; Ph. VI, 9), Mil. 77 **lex libertas**, **pudor pudicitia**, Ph. VI, 4 **leno latro**, Flacc. 16 **libertas licentia**, Sest. 20 **libido levitas** (cf. V. 3, 210), Quinct. 94 **libet licet**, V. 2, 189 litterae litura (cf. ib. 64; Marc. 9), Cael. 57 **lustra libidines luxuries** (cf. Quinct. 92), Ph. II, 115 lucrum laus, har. r. 38 lumen libido, V. 5, 24 **maeror miseriae** (cf. 3, 175), Ph. VIII, 10 ***multa meliora** atque **maiora**,* V. 2, 122 ***multis** ac **magnis** maiorum meritis*, Ph. XIII, 5 mare mons, Mur. 90

mansuetudo misericordia, V. 2, 148 metus malum (cf. p. r. s. 3), Ph. XIII, 24 **mentum mens**, Cat. IV, 12 **miser miserandus**, Sull 1 **mitis misericors**, Ph. II, 10 **moderatio modestia**,. V. 4, 23 molestia munus, Pis. 43 morbus mors (cf. Ph. I, 28), Mur. 72 mos modus, V. 4, 118 munitio moles, Ph. II, 116 **munus monumentum**, Ph. XI, 30 **navis nauta**, V. I, 35 **odium offensio**, ib. 13 **optimus opportunus** (Planc. 19), Caecil. 16 **oratio opinio**, Quinct. 10 **oro obsecro** (saepissime), Rab. p. 35 **oro obtestor** (saepe), Cat. IV, 1 **os oculus** (saepe), Ph. XI, 35 **paratus peritus** (cf. Caecil. 41), V. 5, 119 parentes propinqui, 1, 45 particeps princeps, V. 5, 57 **paucae parvae**, 4, 47 **patella patera**, Sull. 86 **patrii penates**, Ph. III, 18 *patris et patrui parricidio*, V. 1, 20 pecuniosus profusus perditus, p. r. s. 9 **perennis proprius**, Rab. p. 4 perfugium praesidium (cf. Mil. 3), Rosc. C. 55 persequi petere, Sest. 78 **pestifer perditus**, Rab. p. 2 **pestis pernicies**, Rosc. A. 133 **praeclarus propinquus**, V. 3, 27 *publicanus* ***petitor ac pignerator***, dom. 29 **piget pudet**, V. I, 13 *portus* ***piratis praedonibusque*** *patefacti*, Ph. II, 85 **plangor plausus**, Rosc. A. 6 **plenus praeclarus**, V. 5, 127 *plurimis et pulcherrimis spoliis*, Caecil. 8 **popularis plausibilis**, V. 5, 36 **populus plebs**, Pis. 9 **portentum prodigium**, Cluent. 7 **portus perfugium**, prov. c. 2 **praecipuus proprius**, V. 1, 142 ***praedibus*** *et* ***praediis*** *populo cautum*, Cluent. 71 praeposterus perversus, V. 3, 186 *praesidium propugnaculumque provinciae*, dom. 17 praesto promitto spondeo, (cf. Font. 18), V. 5, 63 praetor praedo, Mil. 56 **pransus potus**, Rosc. C. 30 ***pravum perversum*** *produci posse*, prov. c. 23 pristinus perennis, V. I, 33 privatus publicus, 2, 120 potestas procuratio, ib. 23 **probus pudens**, har. r. 4 *prodigiis ac paene pestibus* (cf. Vat. 18), Ph. V, 24 proficisci profugere, Flacc. 5 proferre patefacere, V. 1, 2 proiectus paratus, Rosc. A. 118 promptus propositus, l. a. II, 85 promiscue proprie, Pomp. 48 **proprius perpetuus**, Cael. 49 **protervus procax**, Cat. IV, 14 provisus paratus, Sest. 37 publice proprie, Cluent. 12 **pudor pudicitia pietas**, Caecin. 32 pulsus prohibitus, Ph. XIII, 4 ratus religiosus, V. 3, 200 **regna rapinae**, Pomp. 51 **res ratio**, Planc. 3 **res reus**, Sest. 6 **sapiens sanctus severus** (cf. Balb. 52; Quinct. 26), Marc. 32 **sapientia sanitas**, Rosc. C. 11 **satis superque**, V. 5, 171 **saxum scopulus** (cf. Arch. 19), Font 31 scelus sanguis, Rosc. A. 103 **sector sicarius**, Ph II, 52 **semel saepius**, Quinct. 91 senectus solitudo, Rosc. A. 140 **sincerus sanctus**, Ph. I, 53 **socius servus supplex**, Sest. 8 sors societas, Ph. II, 23 **sperare suadere**, Rosc. C. 29 **spes exspectatio**, V. 4, 86 spoliare stipare, Mur. 86 squalor sordes, Cat. I, 30 **stirps semen**, l a. II, 16 sudor sanguis, Sull. 34 **summus singularis**, dom. 96 **suspensus sollicitus**, Planc. 86 taeter turpis (cf. Sest. 19), Sest. 53 **tectum templum**, dom. 68 temere turbulente, Caecin. 71 **testis tabula**, Dei. 2 **tueri tegere**, Cael. 67 tulerit texerit, dom. 137 **turbo tempestas**, Planc. 94 **tutus tranquillus**, V. 1, 141 **vafer veteratorius**, Mil. 69 **vagus volubilis**, Mur. 32 **vehemens**

vigilans (cf. Pis. 27), Cat. 31 **venae viscera,** Balb. 58 **verbum vultus,** Cluent. 200 **veritas virtus,** 5, 77 **victor victus,** Rosc. A. 71 **vilis vulgaris,** har. r. 6 **vinci vinciri** (cf. V. 5, 170), Ph. XI, 7 **vincula verbera,** V. 3, 31 **vinum vigiliae,** Sest. 1 violare vexare (cf. p. r. s. 7; V. 3, 21), V. 5, 140 **virgae verbera,** V. 1, 57 **virtus victoria,** 5, 1 virtus vigilantia (cf. Ph. VII, 6), Cluent. 25 vis victoria, V. 4, 130 visere venerari, V. 5, 25 **vis virtus,** ib. 187 **vita victus** (89 v. vires, Sest. 143 v. virtus), Ph. XIV, 35 vivus victor V. 1, 31 **vox vires** (cf. Ph. I, 14) etc.

Apud D. non potest tanta exemplorum copia talis ad alliterationem proclivitas demonstrari, sed quae in orationibus huius g. habet, non tam secutus esse videtur quam forte in ea incidisse. Etiam litterae *π* in hoc g. frequentia magis linguae Graecae vel potius omnis linguae propria est quam Demosthenis; nam etiam C. littera p. plurima exempla exhibet. Reperiuntur autem ap. D. II, 9 *πλεονεξία πονηρία, πρόφασις πταῖσμα*, XIV, 22 *πορίζειν παρασκευάζειν* XVIII, 11 *πράττειν πολιτεύεσθαι*, 62 *πράττειν ποιεῖν*, 265 *πράως πικρῶς*, LV, 1 *πονηρὸς πλεονέκτης*, XVIII, 130 *πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν*, XXXVIII, 9 *πλάττειν παράγειν*, XXXVII, 48 *πιθανωτάτῳ πάντων καὶ πονηροτάτῳ*, L, 20 *πλοῦν πολὺν καὶ πελάγιον*, ib. 22 *πλοῦν πολὺν πεπλευκότων καὶ πλοῖα ἑλκόντων·* praeterea: I, 5 *ἀνάστασις ἀνδραποδισμός*, XVIII, 40 *δηλοῦν διορίζεσθαι*, XLV, 75 *λέγειν λογίζεσθαι*, IX, 35 *μέλλειν μαλκιᾶν*, XVIII, 102 *μέτριος μικρός*, IX, 5 *μικρὸς μέγας*, IV, 14 *ταχὺ τήμερον* etc. In quibus autem verbum ex verbo pendet, ne infinitus essem, eam legem servandam esse statui, ut ne minora quam ternorum verborum exempla afferrem. Atque huius g. ap. D. rursus in littera *π* versantur cum alia tum haec: IV, 41 *πρὸ τῶν πραγμάτων προορᾶτε*, XIV, 14 *πάνυ πολλὰ πράγματα*, XIX, 10 *πείσας ὑμᾶς πανταχοῖ πρέσβεις πέμψαι*, XXI, 1 *πολλὰ καὶ βίαια παθὼν παρὰ πᾶσαν τὴν χορηγίαν*, IX, 38 *πάντα ἃ προσήκει πραττόντων πολλάκις παρασκευάζει*, XVIII, 221 *πρεσβεύοντα πρεσβεῦσαι προθυμότερον κτὰ.* XX, 142 *πάλαι παρὰ πάντα τὸν χρόνον ἡ πόλις*, XXI, 157 *παρὰ τοῦ πατρὸς πολλὴν οὐσίαν παραλαβών*, LVI, 13 *πολλοὺς παραλαβὼν προσήει·* praeterea vide IV, 19 *μή μοι μυρίους μηδὲ δισμυρίους κτά.* XV, 16 *δοῦναι δίκην δίκαιοι*, XVIII, 133 *τὸ δίκην δοῦναι διαδύς* XV, 17 *οὐ δυνηθέντων δημοσίᾳ διαλύσασθαι*, III, 36 *μετὰ καλῶν κινδύνων κτησάμενοι κατέλιπον*, ib. 5 *μηνὸς μόλις μετὰ τὰ μυστήρια*, XX, 26 *ἡμέρας μέρος μικρόν*. Saepissime ap. D. talis conformatio existit articulis vel pronominibus similibus congregatis, id quod huc non pertinet.

C. etiam in hac parte uberrimus est, ut V. 1, 44 *aliis aliquid aliquando*, V. 1, 9 ***crudelissimum carnificem civium*** (cf. Rab. p. 15), Ph. V, 18 *in cella Concordiae collocari*, V. 2, 57 *cum consilio cognita causa cum comperisset*, Sest. 118 *caterva clarissima concentione contionata est — qui* ***cantorum convicio contiones***

celebrare solebat etc. cf. har. r. 47; V. 2, 38 *dicis diem distulit*, ib. 118 *de iudiciis datis dicere desistamus*; cf. 3, 131; 226; 4, 112; l. a. II, 10 *extremi exitiorum exitus*; Sest. 39 *facile factu fuit*, Cael. 37 *foedis factis facis;* cf. Sull. 21; Cluent. 28; Rosc. C. 17 *potest hoc homini huic haerere peccatum?* Rab. p. 7 *iurati iudices iudicarint*, Flacc. 12 *ius iurandum iocus*; Arch. 27 *Martis manubias Musis consecrare*, cf. Dei. 4; Ph. XIII, 40 *pulcherrime priora processerint*, 46 *poenas patrias persequatur*, VII, 25 *ne spe praesentis pacis perpetuam pacem amittatis*, dom. 116 *in Palatio pulcherrimo prospectu porticum pavimentatum trecentum pedum concupierat;* prov. c. 41 *populares impetus populari praesidio populsare possem;* cf. Quinct. 51; V. 1, 7; 103; 2, 70; 3, 7; 110; 172; 4, 53; Font. 46; Caecin. 78; Pomp. 67; Cluent. 31; 128; 154; l. a. I, 21; Cat. I, 30; II, 4; 25; IV, 3; 10; Sull. 12; 70; 84; dom. 47; Sest. 140; Cael. 32; Planc. 26; 94; 101; Lig. 24; Ph. II, 15; III, 3; V, 53; VII, 23; XIV, 3; 30 etc., V. 3, 138 *Romam rem reiicias*; 3, 22 *secum sui similes*, Ph. II, 59 *saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium;* cf. ib. 115; Mil. 12; Sest. 67; V. 5, 116; Pis. 33 *meum turbulentissimum tempus tuo tranquillissimo praestat;* Marc. 12 *victoriam, vicisse videris* (cf. ib. 17); Mil. 30 *vi victa vis*; cf. ib. 85; l. a. II, 47; Sest. 48; Planc. 101 etc. Quamquam autem Ciceronem omninoque Romanos apparet ad hoc genus dicendi magno opere inclinavisse, tamen non est dubium, quin non pauca eorum exemplorum, quae modo partim exscripsi partim indicavi, casu orta sint.

Nec non in a s s o n a n t i a[38]), quae fit, cum duo plurave verba intus similem quandam habent conformationem, magis linguae natura et indoles quam ars et industria dicentis multas eius g. soni festivitates efficere solet, ut V. 2, 52 *eversum extersum*, Rosc. A. 142 *ornamento emolumento*, V. 5, 124 *adiumenta ornamenta*, V. 2, 48 *rumore clamore*, Rosc. C. 15 *necessaria voluntaria*, V. 4, 27 *armario sacrario*, 3, 7 *oneris muneris*, 4, 124 *opere pondere*, Rosc. A. 60 *ultro citro*, 66 *paternus maternus*, Cluent. 41 *bestiam pestem*, V. 5, 26 *tectum, lectum*, Flacc. 58 *hostes testes*, Sull. 19 *infestae funestae*, har. r. 23 *dies pro festis paene funesti*, ib. *ludos ad luctum conferre*, 24 *ludos lues*, 51 *ornat deformat*, Balb. 63 *laudem — fraudem*, 3, 48 *rem spem;* D. I, 1 ἐθέλειν ἀκούειν, XVIII, 3, 24 ἐξώλεις προώλεις, XIX, 15 ἐδημηγόρει συνηγόρει, II, 16 ἄνω κάτω, IV, 39 ἐκεῖσέ εἰσιν, VIII, 45 λιμένων μελινῶν, XXIII, 152 πολλαχόσε ἄλλοσε, ib. 53 ἐξεῖναι κτεῖναι, etc. Sed iam delapsus sum in ea dicendi ornamenta, quae similiter cadentibus et desinentibus verbis conficiuntur, de quibus mox; nunc persequar ea, quae Graeci

---

[38]) Hoc nomine usus est Ernestius 249, ubi Hermogenis (251) παρήχησιν explicat. Esse autem eam dicit id dicendi genus, cum duo aut plura membra similem sonum efficiant.

Paronomasia

complectuntur; ap. Cornif. 4, 21, 29 *adnominatio est, cum ad idem verbum acceditur cum mutatione unius aut plurium litterarum.* Eiusd. traductionem 4, 14, 20 huc referre velim, cuius duas formas statuit, unam, cum vocabulum sic iteratur, ut maneat notio, alteram, cum diversa intelligenda est altero loco[39]). Atque illud genus, cum idem verbum saepius eodem sensu ponitur ad unam aliquam rem vehementer premendam, non multum differre videtur a polyptoto. Exemplum invenies ap. C. Mur. 12, ubi »Asia« in una paragr. quinquies repetitur; similiter in Cael. 64 Licinius, Balb. 55 Graecus, Pis. 23 consulatus, Sull. 56 proficisci, Sest. 53 expulsus, D. IV, 51 *συμφέρειν* cf. C. V. 3, 168. Deinde eam dabo formam, quae valet ad distinguendam rei proprietatem praepositionibus aut variatis aut in contrarium mutatis[40]), ut C. prov. c. 25 *me a Caesare in re p. dissensisse fateor et sensisse vobiscum, sed nunc vobis assentior, cum quibus antea sentiebam*; cf. ib. 17; 19; 27; 29; 40; Quinct. 5; 74; Rosc. A. 3; 39; 42; 47; 73; 89; 107; 115; 139; Rosc. C. 21; 47; 55 etc. Caecil. 12; 26; V. I, 4; 14; 15; 29; 36; 1, 10; 19; 25; 70; 88; 109; 2, 1; 27; 61; 63; 101; 109; 179; 149; 3, 4; 21; 27; 127; 153; 162; 172; 4, 36; 57; 95; 117; 134; 5, 12; 27; 33; 59; 136; 171; Tull. 36; Font. 40; 41; Caecin. 24; 38; 39; 46; 85 etc. Cluent. 63; 80; 123; Pomp. 26; l. a. I, 2; 20; 21; II, 14; 43; 99; 100; 101; III, 1; Cat. I, 27; 30; II, 25; IV, 11; Mur. 4; 32; Sull. 12; 47; 63; 81; 87; Flacc. 74; dom. 21; 49; 53; 96; 125; Sest. 56; 65; 66; 111; har. r. 2; Vat. 6; 41; Cael. 5; 15; 72; Balb. 25; 26; Pis. 11; 16; Planc. 15; 22; 62; 66; 101; Rab. P. 30; Mil. 33; 55; Lig. 22; Dei. 9; (20); Ph. I, 15; II, 27; 85; 114; VI, 1; VIII, 21; X, 8, XII, 10; 12; XIII, 13; 20; 50; XIV, 3; 7; D. I, 19, 24, VIII, 19, 43, 66, IX, 2, XVIII, 11, 158, XIX, 50, 92, 122, 136, 137, 189, 209, 266, 291, XXI, 68, 85, XXIV, 156, XXVII, 7, XXXII, 18, XXXIV, 21, XXXVI, 58, XLV, 41, 49, 54, L, 9, LIV, 41, LVII, 47.

Nec alia est ratio talium: C. V. 3, 105 in publico — de publico; cf. Pomp. 33, Cluent. 151; Cat. I, 18; p. r. s. 36; p. r. p. 13; Rab. P. 15; Mil. 93; 104; Lig. 16; Ph. II, 6; 87; X, 8; D. III, 12, XV, 25, XVIII, 277, LI, 14 etc.

His accedant aliqua exempla eius dicendi generis, cum variis eiusd. verbi conformationibus luditur, ut C. Rosc. A. 2 *plura dixisse*

---

39) cf. Cic. or. 135; 84; de or. 3, 206; Aristot. III, 142 τὰ παρὰ γράμμα σκώμματα, Alex. 36, Phoeb. 47, Tib. 71, Herod. 95, Aquil. 30, Rutil. 4, Bed 609, Dzial. 17, Volkm. Rhet. 407, Gerb. II_1, 225, Kays. 288 et 292. 40) Quintil. 9, 3, 71.

quam dixisset putaretur, V. 4, 147 *Graecos — Graece*, Caecin. 39 *ingressum — ingredientem*, Pomp. 62 *consule — consulibus*, l. a. I, 26 *deserite — deseremini*. Nec multum ab his abhorrent talia: C. Ph. X, 8 *corpus aberat liberatoris*, *libertatis memoria aderat*, V. I, 121 *verrinum — verrem*, l. a. II, 102 *otium — otiosos*, Mil. 31 *iugulum — iugulari — iugulandum*, Lig. 4 *pace — pacatissima — pacem*, Ph. II, 34 *regem — regnum* (cf. Pomp. 24), Rosc. A. 33 *inter eos, qui insaniunt*, *insanissimum*, Mur. 29 *salubritas — salus*, 30 *prima — princeps*, V. 3, 156 *ludibundi — ludorum*, 4, 143 *nuda — nudus — nudata*, Arch. 9 *incolumis — calamitas*, dom. 26 *legem — privilegium*, V. 5, 59 *praedones — praeda*, Pis. 12 *spem habere — desperasse*, Rosc. A. 18 *suspiciosum — perspicuum*, 112 *officio officis*, Ph. XIV, 38 *caederent*, *caderent*, Quinct. 51 *incommodarint — incommodi* (cf. 75), Mil. 81 *viri virtus*, Rosc. A. 35 *potest*, *potentia*, V. 5, 13 *reum — rem* (de or. 2, 321 *reos appello*, *quorum res est*) etc. D. IV, 1 *συνεβούλευσαν — βουλεύεσθαι*, XV, 16 *δίκην — δίκαιοι*, XIX, 248 *σοφῷ Σοφοκλεῖ*, cf. XXI, 100 etc. In multa huius g. exempla *τὸ παρηγμένον* convenit, quod invenitur ap. Ps. Rufin. H. 51, *cum ex supra dicto verbo aliud derivatur*, id quod in carm. de figg. 67 *μετάκλισις* vocatur.

His figuram etymologicam, quae dicitur, subiungamus. De eius in lingua Graeca formis primus Lobeckius uberius disputavit in paralipp. 501 sqq.[41]); eiusd. rei in Latina lingua vestigia longius persecutus est Landgrafius in actis Seminarii Philolog. Erlang. (vol. II. 1881). Etiam librum, qui inscribitur *De figura etymologica linguae Latinae* ab eod. conscriptum in manibus habui, in quo p. 8 f. e. definitur *compositio duorum congenerum vocabulorum, quae item grammaticae legibus arctissime inter se conexa unam eamque amplificatam atque dissertissimam notionem efficiant*. Ac ne longus sim, quia hic usus ap. Dem. frequentissimus est, in exemplis afferendis si quid pluribus locis deprehenditur, id quod iam in superioribus factitavi, unum adhibebo. Ut igitur ab usitatissimis et notissimis incipiam, D. exhibet II, 9 *φέρειν συμφοράς*, IV, 37 *ἐπιστέλλειν ἐπιστολάς*, 26 *πομπὰς πέμπειν*, VIII, 75 *πρᾶγμα πράττειν*, XV, 17 *πολέμους πολεμεῖν*, XVIII, 18 *πρᾶγμα διαπράττεσθαι* 80 *ἀποστόλους ἀποστέλλειν*, 87 *συμπολεμεῖν π.*, 114 *ἀρχὴν ἄρχειν*, 171 *ἐπιδόσεις ἐπιδοῦναι*, 239 *κενὰς χαρίζεσθαι χάριτας*, 251 *γραφὴν γράφεσθαι*, 262 *ἀγῶνας ἀγωνίζεσθαι*, 289 *ἐπίγναμμα ἐπιγράψει*, 313 *λόγον ἐκ λόγου λέγειν*, 45 *πάθος πάσχειν*, XIX, 13 *ἀρχὴν ἄρξασθαι*, 47 *ὑποσχέσεις ὑπισχνεῖσθαι*, 128 *εὐχὰς εὔχεσθαι*, 199 *βεβιωμένον βίον*, 171 *πρεσβείαν συμπρεσβεύειν*, 275 *οἰκίας οἰκοδομεῖν*, XX, 26 *εὐπορίας εὐπορεῖν*, 21 *τὰς ἐγκυκλίους λειτουργίας λειτουργεῖν*, 84 *ψήφισμα ψηφίζεσθαι*, 176 *δίκην*

[41]) cf. Schoemann opuscc. acad. III, 203 et IV, 54.

ἐμποϱικὴν καταδικάζεσθαι, XXI, 179 ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν, 202 δημηγορίας δημηγορεῖν, 224 γράμματα γράφειν, 174 σπονδὰς σπείσασθαι, 132 λοιδορίαν λοιδορηθῆναι, XXII, 42 εἰσπράξεις εἰςπρᾶξαι, XXIII, 122 ὕβριν ὑβρίζειν, 214 κινδύνους κινδυνεύειν, XXIV, 144 τὸ αὐτὸ τέλος τελεῖν, 151 κρίσεις κρίνειν, XXVII, 9 εἰσφορὰς εἰσφέρειν, 13 οἰκίαν οἰκεῖν, 22 ἀνάλωμα ἀναλῶσαι, XXIX, 4 δεῖσθαι δικαίαν δέησιν, 15 μαρτυρίαν μαρτυρεῖν, XXXIII, 16 συνθήκας θεῖναι, XXXIV, 1 συμβόλαια συμβάλλειν, XXXVI, 17 γνῶσιν γνῶναι, 21 νομὴν νέμεσθαι, 25 αἰτίαν αἰτιᾶσθαι, XXXVII, 12 πρόκλησιν προκαλεῖσθαι, XXXIX, 9 παράγραμμα παραγράφεσθαι, XLV, 39 γραμματεῖον ἐπιγράφειν, 74 καταχύσματα καταχεῖν, 85 τριηραρχίαν τ. L, 22 πλοῦν π. LIV, 38 ἀρὰς δεινὰς ἐπαρᾶσθαι, LVI, 49 συγγραφὴν γράφεσθαι, LVII, 41 ἐπικλήρου εὐπόρου κληρονομεῖν.

Ex C. huc spectant haec: l. a. II, 14 *ad legem legendam*, V. 2, 48 *statuam statuerunt*, 118 *tutiorem vitam victuros* (cf. Cluent. 170), l. a. II, 44 *eosdem cursus cucurrerunt*, Mur. 61 *servitutem serviant*, Mur. 34 pugna *acerrima summa contentione pugnata*, Pis. 17 *iusiurandum tantum iuratus*, Vat. 35 *legati legarentur*, Ph. II, 109 *mirabilia facinora effecit*, ib. 42 *dicta dicere* (id. Planc. 85), Marc. 12 *victoriam vicisse*, V. I, 31 *fidei diffisus*, forsitan etiam haec huc revocanda sint: Cat. IV, 11 *videor videre*, l. a. II, 83 *dixisse dicitur*, V. 2, 66 *iudicasse iudicavit*, Ph. II, 30 *suspicatum suspicaris*, Cluent. 17 *ferri ferenda*, Rosc. A. 3 *si quae dicenda sunt*, *dixero* etc. Ph. XIII, 32 *armatum armabitis*. Neque solum obiectum eiusd. stirpis cum verbo conectitur, sed etiam saepe ablativus aut modi aut instrumenti, ut Quinct. 25 *tabulae signis hominum nobilium consignantur* (saepius), Caecil. 24 *ceratam tabellam cera legitima*, V. 1, 44 *allegationibus legationem expugnavit*, 58 *adornatum magnifico ornatu* (cf. prov. c. 41), 4, 1 *suo pondere penditote*, 77 *unxisse unguentis*, l. a. II, 101 *vestris armis armatus*, Sest. 52 *rei p. voce revocatum*, Mil. 35 *odium, quo odimus*, Cat. IV, 5 *multis iudiciis iudicavistis*, Ph. XIV, 36 *occidione occiderit* (cf. Liv. 22, 54), l. a. I, 16 *omnibus vinclis devinctam*; D. XXXIX, 26 γάμῳ γεγαμηκώς, L, 7 σκεύεσιν ἰδίοις κατεσκεύασα, LVI, 16 χρῆται τοῖς χρήμασι. Etiam talia huc videntur pertinere: D. XIX, 9 εἰς τίνα τάξιν ἑαυτὸν ἔταξεν (saepius), C. V. 2, 33 *de iudicio iudicaturum*, Mur. 57 *in quadrigarum curriculum incurrere*, V. 1, 107 *post eos censores census*, Sest. 45 *in nave naviganti*; praeterea V. 4, 95 *in demoliendo signo moliebantur*, 2, 81 *de re iudicata iudicavisse*, 122 *decrevit senatus honorifico senatus consulto*, I, 10 *in reiectione iudicum iudicarit*, 1, 145 *si statuerit accipere ad statuas licere*, Flacc. 15 *distributis partibus tributim*, V. 4, 46 *ut intelligatis in homine intelligentiam fuisse*, D. XIX, 218 σῖτον εὔωνον ὠνούμενοι, C. Ph. IX, 4 statuae steterunt, D. XXII, 9 δοκεῖ δοκεῖς ἀξίως ἡ βουλὴ βεβουλευκέναι, XIX, 50 γέγραφε γράψας, C. Ph. II, 6 *auspicia*

augur sustulisses, l. a. II, 66 *suspensam plebem pendere;* adde D. XIX, 18 *ἐλπίσιν ἐξ ἐλπίδων*, C. Flacc. 54 *princeps principum*, V. 1, 154 *praedonum praedo*, l. a. II, 10 *exitiorum exitus*, Ph. II, 55 *scelus in scelere*, V. 5, 12 *exitus exitiales*, Ph. I, 5 *insepultam sepulturam*, Ph. XIV, 7 *gratae gratulationes*, Sest. 97 *numero innumerabiles*, D. XXIX, 15 *μὴ ἀληθινῆς μαρτυρίας μάρτυρα*, XXIV, 141 *ἀβίωτον βίον*, XLI, 1 *ἄπαιδος ἀρρένων παίδων*, XXXVII, 8 *δίκην λαβεῖν*, Soph. Ai. 79 *γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθροὺς γελᾶν.* Etiam talia huc refert Landg. (in act. sem. phil. E. p. 46 et 51): C. Rosc. A. 135 *hominem neminem*, Caecin. 9 *hodierno die.* In his autem exemplis Ciceronianis Rab. p. 22 *sectam sequi*, V. 1, 70 *seditionem sedare*, Sest. 93 *in profundissimum gurgitem profundat*, quamquam talis ratio non subest, in verborum tamen ipsorum sono et conformatione inesse videtur; Landg. tales locutiones (in a. s. ph E. p. 9) pseudoetymologicas appellat. Neque illud fugit, plerasque res eius m. simul etiam in alliterationem cadere.

Sequuntur ea exempla, in quibus idem verbum aut in compositis vocabulis eadem stirps continuo dissimili sensu usurpatur[42]). Etiam ex hoc g. quaedam in omni sermone versantur ac plane communia sunt; sed quoniam hic difficile est rariora a magis pervulgatis tenui discrimine distinguere, exempla ut quaeque se offerent citabo. In C. V. 4, 148 reperitur: *insania molesta sane fuit*, D. XIX, 233 *ὄψεως ὑποψίαν*, XVI, 30 *ἔστιν εὐθὺς εἶναι*, XXIV, 191 *ἐκλέξας λεγέτω*, XXIX, 41 *δίκην ἀδίκως ὠφληκέναι*, C. Pis. fr. II. *ingenii — ingenui*, V. 1, 121 *Sacerdotem exsecrabantur*, 2, 27 *cohors illa — cohortes fugitivorum*, 5, 33 *di faciant, ut audeas mentionem facere*, Ph. IX, 10 *iuris consultus — iustitiae*, V. I, 15 *nobilitatis — nomina — nobiles — noti*, 3, 134 *animum — animam*, Ph. XII, 14 *pax non erit pax, sed pactio servitutis*, Pis. 2 *Piso, non iste P.* V. 4, 147 *germanum Metellum* (cf. ib. 111; Pis. 30), 5, 92 *praetor — classis conflagrabat* (cf. D. IX, 17 sq. *μηχάνημα.* XVIII, 262 *ἀγώνων*, XIX, 288 sq. *τέθνηκε*), dom. 116 *oppressa libertate Libertas*, V. 4, 49 *purum — purus*, Rosc. A. 80 *sectores collorum et bonorum*, Tull. 49 magistratus, Mil. 44 dubitare, Ph. XI, 24 *quod agitur agamus*, V. I, 26 praerogativa, Balb. 54 *maiores — maiora*, V. 4, 40 *ratio*, 5, 174 *monendi locus hoc l.*, 2, 155 *more — moribus*, Pomp 1 *tempus — temporibus*, Rosc. A. 28 res, Mil. 66 audire, Rosc. A. 5 causa (cf. V. 5, 111; 141; 2, 57; l. a. III, 15); D. VI, 15 *μέλλει — οὐ μέλλει.* Etiam id aliquando fit, ut verbum ambigue ponatur; D. quidem III, 5 *σωθεὶς* ita adhibet, ut simul convalescendi et servandi vim habere possit; simile est ib. 33 *περιουσίας*, C. 1, 104 *Chelidone*;

[42]) Secundum Cic. or. 135 in hoc g. *continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur*; ab Alex. 37 ἀντιμετάθεσις ἢ σύγκρισις ἢ πλοκή (cf. Aquil. 31), a Rufin. 54 ἀντίστασις, a Rutil. 8 διαφορά appellatur.

etiam lusus illi, quibus utitur in nomine Verris, huc spectare videntur: Caecil. 57; V. 1, 121; 2, 52; 191; 4, 53; 95; vide quoque Ph. XIII, 27 *Muribus*; cf. praeterea Blass. III1, 297 adn. A Rutil. 5 *ἀνάκλασις* commemoratur, quae fit, cum id, quod ab altero dictum est, non in eam mentem intelligitur, sed in aliam aut contrariam accipitur. Huius m. est notum illud Proculeianum, cum filius patri dicit, se eius mortem non exspectare, pater autem subiicit: *immo oro, inquit, meam mortem exspectes.* Similiter dicitur illud Ciceronianum Planc. 33 *cum ille dixisset: »Quid agis, Grani?« respondit: »Immo vero tu, Druse, quid agis?«*

Postremo ea ponamus, quae, quamquam non eiusd. sunt stirpis neque idem valent, tamen similem quendam sonum referunt. Ut ap. C. Rosc. A. 5 legitur: *non electus, sed relictus*, Cluent. 89 *libeat libere dicere*, V. 1, 40 *portentum exportandum*, 2, 78 *praedonum praetor* (saepe), 2, 129 *caeli — caelati*, 4, 10 *ereptionem — emptionem*, 4, 23 *Siciliensi*, quo verbo Halmius alludi dicit ad vocem »Ciliciensis«, l. a. II, 102 *odio — otium*, Cat. IV, 11 *urbem, lucem orbis*, har. r. 6 *vinci — vinciri*, 7 *impetum — impeditus*, Pis. 74 *laurea — laudi*, ib. 2 *moribus — maioribus*, Mil. 91 *facibus — falcibus*, Ph. II, 81 *prudentia — impudentiam*, III, 22 *ex oratore arator*, 27 *nisi qui vicisset, victurum neminem*, XI, 35 *paratum — peritum*, XIII, 24 *mentum — mentemque*, de or. 2, 194 *actor — auctor*, D. VIII, 27 *μέλλει — μέλει*, XXIII, 202 *ἐλευθέρους — ὀλέθρους*, XVIII, 120 *ἀναίσθητος*, *Αἰσχίνη* (?). Nec vero intra has verborum singulorum argutias concinnitatis studium constitit, sed longius serpsit ac totas sententias et ambitus comprehendit. Huc spectant nomina

Compar

ap. Cornif. 4, 20, 27, *παρισώσεις κατ᾽ ἀρχὰς καὶ κατὰ τέλος* ap. Hermog. (334), Aristotelis (Rhet. III, 137) et Anaximenis (Sp. I, 213) *παρίσωσις* et *παρομοίωσις*, Aquilae (30) *ἰσόκωλον* et *πάρισον*, Demetrii (266) *παρόμοια κῶλα*. Clausularum autem similitudo a plerisque *ὁμοιοτέλευτον* appellatur [43]); a multis etiam *ὁμοιόπτωτον* [44]) peculiariter tractatur. Eorum, quae veteres de ea doctrina tradiderunt, pauca afferam, qui et plerumque inter se discrepant nec res satis subtiliter distinxerunt. Atque Aquila *ἰσόκωλον* fieri dicit, *quotiens non pugnantibus inter se, sed paribus tantum modo verbis duo vel etiam plura membra explicantur*, *πάρισον*, si membra *pariter excurrunt.*

---

[43]) ab Alex. 35, Rutil. 19, Aquil. 30 etc.; a Cornif. autem (4, 20, 28) similiter desinens; cf. Cic. de or. 3, 206; or. 65 et 135. [44]) ab Alex. 36, Tib. 75, Herod. 97, Rutil. 18, Aquil. 30, Bed. 610; cf. Cornif. l. c. similiter cadens et Quintil. 9, 3, 75 sqq.

Quintiliano (9, 3, 79) optima ea esse videntur, *in quibus initia sententiarum et fines consentiunt.* Spectatur igitur talis elaborata concinnitas in duobus vel pluribus aut membris aut caesis magnitudine paribus; neque tamen haec magnitudinis similitudo magno opere apparet aut sentitur, nisi simul membra illa vel caesa ita sunt intus concinne conformata, ut verba verbis respondeant vel etiam similiter cadant, aut initia aut fines aut ambo eundem referant sonum. De usu autem et utilitate harum deliciarum Cornif. 4, 22, 32 haec scribit: *haec genera exornationum — perraro sumenda sunt —, quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione et sumptione operae; eius m. autem studia ad delectationem quam ad veritatem videntur accommodatiora; qua re fides et gravitas et severitas oratoria minuitur his exornationibus frequenter conlocatis et non modo tollitur auctoritas dicendi, sed offenditur quoque in eius m. oratione propterea quod est in his lepos et festivitas, non dignitas neque pulchritudo. — si raro interseremus has exornationes et in causa tota varie dispergemus, commode luminibus distinctis illustrabimus orationem*[45]). D. autem in hoc g. parcissimus est, id quod testatur Hermog. 332 sq., cum dicit: *αἱ παρισώσεις — εἰσὶ καὶ παρὰ τῷ ῥήτορι, μάλιστα δ᾽ ἐκεῖναι σπάνιαι, ὅσαι τὸ καθ᾽ αὑτὰς ἀκριβὲς ἔχουσι* (*οἷον* XXII, 1) —, *χρῆται αὐτοῖς μετρίως, μετά τινος παραμυθίας· ἤτοι γὰρ διακόπτων αὐτὰς ἐξ ἐπεμβολῆς τινος καταμίγνυσι τῷ λόγῳ, ἢ ἐναλλάττων τὰς συλλαβὰς τὰς κατὰ τέλος παρισούσας τὰ κῶλα, ἢ ταῖς κατὰ κῶλον ὅλως παρισώσεσιν, οὐχὶ ταῖς κατὰ τὸ τέλος συλλαβαῖς ἴσαις χρώμενος.* Ac *τοῦ διακόπτειν* exemplum affert I, 10 *τοῦ ἐναλλάττειν* XVIII, 31. At C. in hoc delectationis aucupio frequentissimus est atque haud scio an sibi interdum nimium indulserit, praesertim in or. p. Rosc. C. Homoeoteleuta igitur apud eum ita frequenter occurrunt, ut maiora tantum exempla notare possimus. Ph. III, 30 habet: *fecerit — exhauserit compilarit* — ut paucis rem absolvam, duodeviginti verba eodem m. desinunt. Cf. Quinct. 47; V. 4, 37; 2, 145; Cluent. 78; Cat. I, 9; har. r. 38; Sest. 143; Vat. 5; Mil. 87; Dei. 10; Ph. III, 5 etc.; D. II, 25, XIX, 8, XXVII, 47 sq Intus autem in duobus membris verbum verbo respondet, initio tamen et fine variato C. Rosc. C. 2 *quem ad modum turpe est scribere, quod non debeatur, sic improbum est non referre, quod debeas;* cf. ib. 17; 50; Quinct. 1; 76; 78; 95 etc. Haec ratio tum maxime mihi usu venire videtur, cum verba sententiae principalis secundariae ita respondent. Initia autem parium membrorum similia sunt maxime in anaphora, ut Rosc. C. 7 *quid est, quod negligenter scribamus adversaria? Quid est, quod diligenter conficiamus tabulas?* cf. ib. 10; 28; 54; Cat. I, 22 etc. D. XXI, 29, 204, XXIII, 36, 115, XVIII, 119, XX, 26, L, 15 etc. Fines porro sententiarum eidem sunt in his: l. a. I, 14 *emes quod voles; vendes,*

---

[45]) cf. Cic. or. 38 sq. et 84, Demetr. 267 θυμὸς γὰρ τέχνης οὐ δεῖται κτά.

quod voles; *utrumque horum facies quanti voles*; cf. Rosc. C. 12; 21; 28; 55; 49; Quinct. 51; 75; Rosc. A. 23; 72; 117; V. 5, 18; Font. 40; Caecin. 1; 10; Pomp. 40; l. a. I, 23 etc. D. XIV, 38, in Aphob. I, 62, de cor. 104. Utrumque autem et initium et finis consentiunt in talibus: Rosc. C. 19 *et honoris causa appellabas et virum primarium esse dicebas et socium fraudasse arguebas*; cf. ib. 20; 52; V. 5, 58; 131; 140; Cluent. 67; 73; Cat. I, 19; IV, 4; Ph. II, 34; Rosc. A. 142 etc. D. XIX, 250; XX, 65; XXI, 130, 183; XXIII, 190, 193. Sequitur

Contentio,

si Cornificii (4, 15, 21 et 45, 58) nomine uti volumus, sive *ἀντίθετον* vel *ἀντίθεσις*, si Graecorum vestigia premimus. Constat autem *ἀ.* ex eo, *quod verba pagnantia inter se, paria paribus opponuntur*[46]). Cornif. duas contentionis species distinguit, quarum unam in verborum, alteram in sententiarum exornationes coniicit, Quintil. 9, 3, 81 singula singulis et bina binis et sententias sententiis opponi scribit[47]). Vim autem eius et virtutem Aristot. Rh. III, 137 ita exprimit: *ἡδεῖά ἐστι ἡ τοιαύτη λέξις, ὅτι τἀναντία γνωριμώτατα καὶ παράλληλα μᾶλλον γνώριμα, καὶ — ἔοικε συλλογισμῷ, ὁ γὰρ ἔλεγχος συναγωγὴ τῶν ἀντικειμένων ἐστίν*[48]). Bene illud monet Kleutg. 69: *Ceterum ut antithetis optimus quisque scriptor delectatus est, ita per eadem, cum primum in dicendi vitia inclinatio coepta est, plurimum peccari solet.* Saepissime autem oppositio sua sponte nascitur magnaque pars omnis orationis per contentiones progreditur, ut ap. D. paene innumerabilia exempla occurrunt, in quibus haec ratio particulis *μὲν* et *δὲ* indicatur, et frequentissime fit, ut contentio in verbis tantum versetur, ut in C. Caecil. 34 *non modo voluntatem fuisse coniunctam, sed ne praedam quidem esse divisam*; qua re non facile est statuere, quo usque in hoc g. maioris ornatus modus pertineat. Neque illud dubium est, quin contentionem fere simul concinnitas quaedam sequatur, qua rursus efficitur, ut oppositionis vis magis eluceat. Sed in iis quoque exemplis, quae non membris paribus vel isocolis continentur, fere alia verborum conformatione et collocatione fieri solet, ut contentionis ratio quam vehementissime illustretur, ut Soph. Ant. 88 *θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις*, Hor. carm. 1, 6, 9 *conamur tenues grandia*, 3, 3, 72 *magna modis tenuare parvis*, 4, 2, 31 *operosa parvus carmina fingo* (cf. de art. p. 465, Verg. Aen. 9, 414 sq.); C. dom. 76 *civitatem, quam servassem inermis, armatus in discrimen adducerem*; cf. ib. 99; Sest. 49; V. 1, 115; Rosc. C. 23; D. XVIII, 61. Opponuntur autem inter se

46) Aquil. 29. 47) cf. Cic. de or. 2, 263, or. 38; 135; 166; Alex. 36, Herod. 98, Rufin. 47, Dzial. 21. 48) cf. Tiber. 78.

res maxime variae[49]), ut Pis. 18 maeror maeroris insignibus (cf. l. a. II, 32; Planc. 87), Mil. 97 praemia recte factorum ipsis recte factis, condicio condicioni Ph. XVI, 6, saepe eventus condicioni, Caecil. 26 unus homo improbus improbitati universae, Sest. 71 res spei, V. 3, 220 summa aestimationis generi a., saepe species, simulatio, opinio, cogitatio, oratio, nomen, verbum, veritati vel factis vel rei ipsi sive verae, ap. D. *λόγοι καὶ ὀνόματα ἔργοις καὶ πράγμασι καὶ πράξεσι καὶ πραττομένοις·* a. C. Quinct. 13 inter se contendunt postulare et flagitare, Sest. 68 squalor et maeror, Rosc. A. 87 ostendere et offerre, Caecil. 57 V e r r e s e t G. M u c i u s, V. 4, 2 Latine et accusatorie loqui; ap. D. IX, 5: *τῆς ἀμελείας κεκράτηκε, τῆς πόλεως δ' οὐ κ.* C. V. 1, 20 *non quid responderet, sed quem ad modum non resp.*, deliberabat, Ph. II, 42 *ille sensim dicebat, quod causae prodesset: tu cursim dicis aliena*; cf. Rosc. A. 50; Rosc. C. 30; 52; Caecil. 1; V. 1, 110; 2, 154; 159; 3, 215; 4, 25; Caecin. 65; l. a. II, 14; Mur. 30; Flacc. 69; dom. 77; Pis. 2; Mil. 86; 90; 91; 101; Lig. 38; Ph. II, 94; IV, 13 etc. D. III, 25, 28, XIX, 271; XX, 26; XXI, 43; XLV, 37, XXIX, 9 etc.

In eis, quae modo leviter attigi, exemplis aut singula singulis aut bina binis aut summum terna ternis inter se respondent: plura pluribus opponuntur in his: C. V. 3, 19 *itane vero? prudentissimi viri, summa auctoritate praediti, quibus senatus omnem potestatem permiserat populusque R. iusserat, Siculo uno recusante, cum amplificatione vectigalium nomen Hieronicae legis mutare noluerunt: tu, homo minimi consilii, nullius auctoritatis, iniussu populi ac senatus, tota Sicilia recusante, cum maximo detrimento vectigalium totam H. legem sustulisti?* Cf. Ph. VIII, 16; V. 4, 77; 5, 51; 75; D. XXI, 73 sq. 61, XX, 164. Frequentissime porro a C. is modus amplificandi tractatur, quo plura contentionum paria conferuntur, ut Rosc. C. 21 *considera, quis quem fraudasse dicatur. Roscius Fannium? quid est hoc? probus improbum, pudens imp., periurum castus, callidum imperitus, liberalis avidum*; cf. Cat. II, 10; 28; Font. 32; Ph. XIII, 45; Mur. 30; V. 1, 3; 3, 16; 26; 4, 121; p. r. s. 19; 24; Cael. 22; D XX, 165, VIII, 66, XVIII, 131, XXI, 221. Ab his non multum differunt talia: C. V. 4, 115 *Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris adventum cum illius imperatoris victoria* etc. quem locum ipse citat or. 167. Cf. Rosc. C. 2; 17; 19; 23; 28; Flacc. 87; dom. 130; Cluent. 5; 94; 190; l. a. I, 21; II, 15; 46; Cael. 67; Mil. 104; Font. 4; 49; Rab. p. 14; Lig. 5; Planc. 79; Sull. 62; Ph. IV, 14; IX, 14; Pomp. 28; V. 5, 85; 4, 2; 31; D. XIX, D. III, 29. Cum anaph. quoque vel polypt. aut simplici aut duplicato magna pars talium contentionum coacervatarum coniuncta est, id quod iam supra in anaph. vidimus; ac secundae quaeque partes ab

---

[49]) vide, quae Cic. top. 47 sqq. de generibus contrariorum exhibet.

eodem verbo incipiunt in illo Demosthenico XVIII, 265: *ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δ' ἐφοίτων κτἀ.* quae contentio a Demetr. immerito propter nimiam artem reprehenditur; neque enim hic D. animo commoto vel concitato agit, sed totus ille locus ad irridendum et illudendum convertitur. Cf. XXIII, 215 sqq. C. Pis. 2; 15; l. a. II, 3; 57; Mil. 55; Pomp. 11; Sull. 15. Utraeque autem contentionis partes per anaph. enuntiantur ap. C. V. 1, 9 *non furem, sed ereptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae, non sacrilegum, sed hostem sacrorum, non sicarium, sed carnificem adduximus.*[50]) Evolve praeterea Mil. 10 (cf. V. 5, 139), 52; Caecin. 3; 63; 76; Arch. 8; Dei. 31; V. 5, 85; 125; 3, 82; 127; Rosc. A. 13; 110; Sest. 138; Cat. II, 25; Rosc, C. 7; 23; 29; 33; Mur. 22; Rab. p. 12; D. XXI, 203, XIX, 230, 278, 326 sq. XXIII, 209, XXIV, 55. Singulare quiddam huius g. est ap. C. Cael. 13: *Quis clarioribus viris iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis taetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior?* Hic non modo repugnantia verborum et rerum vis contentionis magis incitatur, sed etiam haec rerum diversissimarum in uno homine coniunctio eiusd. verbi in utrisque contentionis partibus repetitione quasi depingitur; cf. Cluent. 80. Comparatio porro, quae ipsa contentio quaedam est, non numquam tota capita complectitur,, ut in C. Ph. III, § 8 sqq., Sull. 15 etc.

Restat, ut aliqua adiiciam de contrario, quod Cornif. 4, 18, 25 tractat his verbis: *contrarium idem fere est, quod contentio. Contrarium est, quod ex rebus diversis duabus alteram breviter et facile confirmat.* Ut verum sit, quod Kayser 290 dicit, verba *contrarium idem fere est, quod contentio* annotationem indocti lectoris esse, tamen sequentibus eius verbis, quibus ostendit, contentionem magno opere a contrario differre idemque esse hoc cum tertio conclusionis modo,[51]) non omnino possum accedere. Neque enim video, cur ea, quae in argumentatione repugnantia congregantur, non eadem in contentionem cadere possint; nam ipsa quoque cont. non ipsius contentionis, sed amplificationis causa assumitur; quare non causa, cur talia adhibeantur, hic spectanda, sed ipsa verborum conformatio, neque est, quod contrarium, etsi ad argumentandum confertur, non simul species contentionis esse possit. Exemplum autem praeter ea, quae iam supra irrepserunt, exhibet C. Rosc. C. 45 *cumne testem improbabit, quem iudicem probarit? ei negabit credi oportere, cui ipse crediderit?* etc. cf. ib. 5; 6; V. 1,

[50]) Etiam Paulus Apostolus talia adhibet, ut Corinth. I, 4, 10: *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos ignobiles.* [51]) Cic. top. 55 de eo sic agit: *ex hoc illa rhetorum ex contrariis conclusa, quae ipsi* ἐνθυμήματα *appellant; non quin omnis sententia proprio nomine* ἐνθύμημα *dicatur, sed — quia videtur ea, quae ex contrariis conficitur, acutissima, sola proprie nomen commune possedit.*

154; 2, 109; 119; 5, 104; Font. 26; Caecin. 43; 45; Cluent. 60; Rab. p. 16; dom. 79; 137; Balb. 12; 54; Cael. 54; Ph. III, 9; Rosc. A. 113 etc. D. XXXVIII, 22, II, 24, 26, VIII, 20, 44, IX, 13, XVIII, 195, XIX, 280 sqq., 284, XX, 8, 9, 12, 71, 86, 135 etc. In hoc g. quamquam ea tantum clarissimorum oratorum exempla adhibui, quae mihi aliqua ex parte excellere praeter alia videbantur, tamen non difficile erit statuere, uter in his copiosius sit versatus. Contentio ergo ea, quae inter se repugnant, congregat, ut haec ipsa ratio quam clarissime eluceat,

Oxymoron

autem res contrarias confert non ad oppositionis vim planius explicandam, sed ad earum ipsarum coniunctionem et consociationem indicandam. Id G. Hermanus (105) sic describit: *Tertia fig.* (ex eis figg., quae ad veritatem pertinent) *repugnantibus utitur, quae cum se invicem tollere videantur, non plane tamen tollunt.*[52]) Atque cum haec res primum quidem inspicienti rara esse videatur, accuratius inquirenti apparebit, etiam ex hoc g. iam multa esse admodum pervulgata et paene communia. Apud poetas quidem talia sunt frequentissima: Soph. Phil. 847 *πάντων ἐν νόσῳ εὐδρακὴς ὕπνος ἄυπνος λεύσσειν* (cf. ib El. 1154, Oed. r. 1214, Ai. 665, Eur. Iph. T. 463, 517, 822, 826, Troad. 1233, Bacch. 342); in Aesch. Prom. 447 lego: *βλέποντες ἔβλεπον μάτην, κλύοντες οὐκ ἤκουον*, Soph. Ant. 74 *ὅσια πανουργήσασ᾽* (cf. ib. 924), Ai. 395 *σκότος ἐμὸν φάος, ἔρεβος ὦ φαεννότατον*, El. 1145 *πόνῳ γλυκεῖ*, Eur. Phoen. 431 *λυπρὰν χάριν* (cf. Iph. A. 603), Phoen. 821 *κάλλιστον ὄνειδος* (cf. Iph. A. 257), Iph. A. 1022 *ὁ νοῦς νοῦν ἔχων οὐτ υγχάνει*, Hor. carm. 1, 34, 2 *insanientis sapientiae* (cui simile est ap. C. Mur. 75 *perversam sapientiam*), 3, 16, 28 *magnas inter opes inops*, epist. 1, 11, 28 *strenua inertia*, ib. 1, 12, 19 *rerum concordia discors.* Ap. Cic. praeter illud huius g. haec. inveniuntur: Quinct. 31 *iniuriam facere fortissime* (cf. Cat. III, 17; Mil. 72), Caecil. 13 *familiariter inimicitias exercere*, Ph. I, 5 *insepultam sepulturam*, Rosc. A. 66 *ne pii quidem sine scelere* (cf. Font. 31; Vat. 27), Caecil. 21 *etiamsi taceant, satis dicunt* (cf. Pomp. 13; Cluent. 63; Cat. I, 18; 21; III, 10; Sull. 82; Pis. 1; Sest. 40), V. 1, 2 *impudentiae pudentem exitum quaesisse* (cf. l. a. II, 36), 2, 18 *latrocinia praeturae*, 114 *legati laedant, legatio laudet*, 3, 47 *in uberrima Siciliae parte Siciliam quaereremus*, Cluent. 146 *legibus servimus, ut liberi esse possimus* (cf. Tull. 49), Pomp. 25 *tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam est ausus optare* (cf. ib. 8), l. a. II, 19, *quod dari nullo modo poterat, tamen quodam modo dedit* etc. dom.

[52]) praeterea o. commemoratur a Gross. 269.

65 *honorem turpissimum*, Sest. 39 *domesticorum hostium*, 82 *grato scelere*, 114 *populum iam non popularem* (cf. l. a. I, 25), prov. c. 40 *in disiunctione coniuncti*, Lig. 16 *honesto mendacio*, Mil. 2 *ne non timere quidem sine timore*, 70 *satis armati nullis armis datis*, 73 *incendit, ut extingueret*, 97 *absentes adessemus*, *mortui viveremus*, Ph. VII, 19 *si pace frui volumus, bellum gerendum est*, Marc. 12 *victoriae vis devicta*, Ph. XIII, 4 *Illis locus si in urbe fuerit, ipsi urbi locus non erit.* Cf. V. 1, 90; 154; 2, 116; 4, 115; dom. 116; Sest. 53; 60; Cael. 1; Planc. 5; 66; 87; Ph. II, 55; VII, 8 etc. Demosthenica autem huius g. haec sunt: IV, 24 *στρατηγὸς ἀκολουθεῖ*, VIII, 30, *δεινὸν ὃν οὐ δ. ἐ.* (cf. XXI, 72, XXIII, 163), 69 *ἀσφαλῶς θρασύς*, XVIII, 156 *ἀληθῆ πρόφασιν*, XIV, 37 *οὐδ' ἀδικεῖν ἀδίκημ' ἂν ἔθηκα*, XXI, 131 *ἀβίωτον β.* cf. IV, 2, IX, 5, XXIV, 156. Neque *παραπροσδόκημα* in cod. Eckst. H. 76 *id est cum aliud proponitur et aliud concluditur*[53]) alio spectare puto non magis quam Isidori (520) paradoxon. Perfectissima vero contentionis forma ea certe est, quae a Cornif. 4, 28, 39

Conmutatio,

a Graecis plerumque *ἀντιμεταβολή* dicitur; etiam nomina *ἀναστροφή* (Tib. 70), *σύγκρισις* (Zon. 169), *μετάθεσις* (Ps. Rufin 50) occurrunt. Locum autem habet c., *cum duae sententiae inter se discrepantes ex traiectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori proficiscatur*, ut *esse oportet ut vivas*, *non vivere ut edas*, vel *poema loquens pictura*, *pictura tacitam poema debet esse*, quod Simonidis dictum servavit Plut. Quaest. Conv. IX, 15 *ζωγραφία μὲν φθεγγομένη ἡ ποίησις, π. δὲ σιγῶσα ἡ ζ.* Hoc igitur genus etiam in verborum collocatione saepe occurrit, cum duarum partium inter se respondentium in altera non idem verborum ordo redditur, qui in priore est, sed invertitur, ut in C. Ph. V, 26 *non est verbis rogandus, cogendus est armis*, Pis. 94 *neque legetur quisquis voluerit, neque quisquis noluerit non legetur*, D. XVIII, 172 *ἐκεῖνος ὁ καιρὸς καὶ ἡ ἡμέρα ἐκείνη* etc. Nec aliud sibi velle videtur Hermogenis (243) *χιασμός* nec Alexandri (40) *προσυναπάντησις*. Sententiarum talis commutatio a C. frequenter adhibetur, ut Pomp. 67 *ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam locupletem, quae istis pacata esse videatur?* Cf. Quinct. 49; 51; 70; 78; Rosc. A. 118; Rosc. C. 13; 23; 25; Tull. 32; 49; Caecil. 22; V. 1, 99; 127; 2, 31; 192; 3, 111; 208; 4, 20; 121; 5, 38; Caecin. 8; Pomp. 31; 66; Cluent. 5; 28; l. a. II, 57; 83; III, 5; Mur. 20; 27; 56; Sull. 48;

---

[53]) exemplum ibi citatum repetitum est ex Cic. or. in Caecil. 8: *Qui iudicia manere apud ordinem senatorium volunt, queruntur accusatores se idoneos non habere* etc.

Arch. 15; Flacc. 9; p. r. s. 1; dom. 1; 139; har. r. 26; Planc. 89; 102; Mil. 31; 55; Dei. 30; Ph. II, 38; V, 29; VII, 21; 23; VIII, 2; XIII, 6; 7; 49; XIV, 26. Pis. 7 in secunda parte verba mutantur: *in rostris curiam*, *in senatu populum denfenderim*, cf. Ph. IV, 8; X, 4; D. XIV, 8, XXI, 135. Idem dicit XIX, 97 *οὐ γὰς Αἰσχίνης ὑπὲρ τῆς εἰρήνης κρίνεται, οὒ, ἀλλ' ἡ εἰρήνη δι' Αἰσχίνην δια-βέβληται·* cf. III, 7, XVIII, 35, 219, 247, XIX, 33, 189, XXI, 13, 135, 224, IX, 45.

Ad extremum — nam cetera nomina, quae apud veteres reperiuntur, non est quod curemus — *πρόῖασιν*, quae est in carm. de figg. 68, strictim transigamus. Exemplum est ap. C. V. 3, 4 *Furem aliquem accusaris: vitanda tibi semper erit omnis avaritiae suspicio: Maleficum quempiam adduxeris: cavendum erit semper ne qua in re asperior aut inhumanior fuisse videare* etc. Cf. Rosc. A. 55; D. XVIII, 198, 274, XXI, 101, 185, XXII, 26 etc.

Errata,

quae sensum impedire videntur:

pag.	37	vers.	2	legendum	est	iudex,
,,	41	,,	11	,,	,,	beneficum,
,,	52	,,	39	,,	,,	nubeculam,
,,	54	,,	2	,,	,,	dies die,
,,	54	,,	32	,,	,,	κυκλεῖται,
,,	126	,,	13	,,	,,	reliquam eius rationem.
,,	146	,,	11	,,	,,	ὂν.